Effigies. D. Joannis Cosin Episcopi
Dunelmensis &c

Effigies. D. Joannis Cosin Episcopi
Dunelmensis &c

HISTORIA Transubstantiationis PAPALIS.

CUI

Præmittitur, atque opponitur,
Tùm S. Scripturæ, tùm Veterum Patrum,
& Reformatarum Ecclesiarum

Doctrina CATHOLICA,

DE

Sacris Symbolis, & Præsentiâ Christi in Sacramento Eucharistiæ.

Hanc autem Disquisitionem Historicam ante Annos XIX *Scribebat, & demùm instanti multorum rogatu excudi permisit paulo ante Obitum*

JOH. *EPISCOPUS* DUNELMENSIS.

LONDINI,

Typis *Tho. Roycroft*. Apud *Hen. Brome* Bibliopolam ad insigne *Tormenti Bellici*, prope Portam Occidentalem ædis Sancti *Pauli*.

MDCLXXV.

SERENISSIMO
POTENTISSIMOQUE
MONARCHÆ,

CAROLO II.

MAGNÆ *BRITANNIÆ*,
FR. ET *HIBERNIÆ*

REGI,

FIDEI DEFENSORI.

Præfatio.

ANNVS jam agitur undevigesimus ex quo hanc Dissertationem Historicam adornavit Reverendus admodum in Christo Pater Johannes Cosinus, *cùm* Lutetiæ Parisiorum (*grassante tum in* Angliâ *immani sceleratorum hominum Rebellione*) *Regis Ecclesiæque causâ exularet. In ea enim civitate uti commoraretur, jusserat Rex Serenissimus* CAROLUS II; *cùm relictâ* Galliâ, *ob pactum nuper fœdus à* Gallorum *Rege cum* Anglis *perduellibus, in* Germaniam *se conferret, eâdem ipsi demandatâ provinciâ quam à Beato* CAROLO I. *supra mortalium omnium laudes Principe, priùs acceperat; nempe ut in Sacello Regio sacra perageret*, Angliscque *Exulibus tum familiæ Regiæ, tum aliis quotquot, eà tempestate,* Parisiis *degebant, in*

Reformatâ Religione, quàm profitetur Eccleſia Anglicana, *continendis confirmandiſque operam navaret. Hujus autem Diſſertationis ſcribendæ hæc fuit occaſio. Cum Rex Sereniſſimus Coloniæ* Agrippinæ *conſedißet, atque inviſiſſet celſiſſimum quendam Sacri Imperii Principem Pontificium, non procùl ab ea Civitate tum agentem, à quo perquam honorificè invitatus fuerat; accidit, quod fieri ſolet inter homines diverſam Religionem profitentes, ut de quibuſdam Fidei Chriſtianæ capitibus, quæ inter* Proteſtantes *&* Pontificios *controvertuntur, quidam ex* Jeſuitarum *Societate, cum viris illis generoſis atque nobilibus (quos individuos, rebus etiam duriſſimis, Fortunæ Comites & in conſtanti Reformatæ Religionis profeſſione imitatores habuit) Sermones miſcerent, & Eccleſiam* Anglicanam *hæreſeωs ream peragere conarentur, maximè ob fidem quam de ſanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento profitetur. Eam enim nullam* Realem, *ſed* Imaginariam

am *neſcio quam Corporis & Sanguinis Chriſti* præſentiam, *tantùm admittere*; *Eccleſiæ* Romanæ *verò fidem, eandem omninò eſſe quam per omnia ſæcula conſtanter tenuit Catholica Chriſti Eccleſia de hoc auguſtiſſimo myſterio*; *ſcilicet totam ſubſtantiam Panis & Vini in Corporis & Sanguinis Chriſti Domini ſubſtantiam converti, quæ quidem converſio à Concilio* Tridentino *rectè*, Tranſubſtantiatio *dicta ſit. Hæc & alia ad eandem rem ſpectantia coram ipsâ Regia Majeſtate & Celſiſſimo illo Principe apud quem tum agebat*, à Jeſuitis *haud ſecus dicebantur ac ſi apud omnes rerum, maximè verò antiquitatis Eccleſiaſticæ peritos liquidiſſimè conſtarent. Noverat Rex Sereniſſimus* à Jeſuitis *Eccleſiæ* Anglicanæ *turpiſſimè imponi, neque id ignorabant viri illi primarii qui tum Regiam Majeſtatem comitabantur, nec dubitabant quin vana eſſent & à vero aliena, quæ iidem homines jactitabant de Tranſubſtantiatione* Romanâ. *Verùm cùm*

Celsissimo illi Principi visum fuisset librum manuscriptum de eodem argumento, in quo aiebat ea omnia ex probatis authoribus confirmari, viris illustribus legendum præbere, Censuerunt illi rem totam cum Reverendo Cosino *communicandam, obnixè rogantes ut Ecclesiam* Anglicanam *ab eâ calumniâ vindicaret, & quæ sit illius de Verâ & Reali præsentiâ Christi in sancto Eucharistiæ Sacramento, sententia, disertis verbis declararet. Statim itaque arrepto calamo Vir præstantissimus, atque ad omne bonum opus, maximè verò ubi causa Ecclesiæ Dei agebatur, semper paratissimus, hancce dissertationem conscripsit, quam viri illustres Serenissimi Principis scripto opponerent, &, si videretur, illius Celsitudini par pari referentes, exhiberent. At quanquam viri illi nobilissimi, aliique à quibus perlectum est hoc opusculum sæpius hortati sunt, ut illud publici juris faceret, id tamen ab eo nisi paucos mensis ante obitum impetrare non valuerunt.*

Nam

Nam cùm in privatos amicorum usus tantum illud exaraſſet, operæ pretium ſatis amplum ipſi videbatur quod iis non fuiſſet prorſus inutile. Sed cum jam recruduiſſet ante aliquot annos de Præſentia Chriſti in Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento controverſia, atque etiamnum inter viros celeberrimos Reverendum Claudium, Pariſienſium *Reformatorum Paſtorem,& Arnaldum Doctorem* Sorbonicum, *ſcriptis publicis, utrinque cum magnâ eruditionis atque eloquentiæ laude agitetur, aliique, ut fit, horum exemplo excitati, de eodem argumento diſſertationes varias edidiſſent, amicorum plurimorum, tum eorum qui Tractatum hunc olim legerant, tum aliorum qui de eo tantum audiverant, flagitationibus aſſiduis victus tandem ceſſit; Eoque facilius ut eorum monitis obſequeretur, adductus eſt, quod ſibi videretur errorem, quem perpetuò errat Clariſſimus Doctor* Sorbonicus *toto hocce opuſculo quamquam tam diu ante ſcripto, evidentiſſimè*

confu-

confutasse. Quæcunque enim de Reali seu verâ Præsentia Corporis ac Sanguinis Christi Domini in Eucharistiâ apud Antiquos Patres legere est, ea ad Transubstantiationem Romanam *statim adaptat, & sibi de Adversario egregiè triumphasse & Reformatorum causam jugulasse videtur; quanquam immane quantum distant illa duo, Realis seu vera Christi Præsentia in Sanctâ Cœnâ, & Panis Vinique Eucharistici Transubstantiatio in Corpus & Sanguinem Domini. Ista enim portentum est quod nec Sacra Scriptura docet, nec fides potest credere, nec recta ratio capere, nec sensus admittere; quodque apud primævæ Antiquitatis Scriptores nusquam reperias: Illa verò tum Scripturæ Sacræ consona est, tum Christianæ fidei analogiæ congrua, & rectæ rationi accommoda, ut ut corporeis sensibus non percipiatur, quià Spiritualis est, ac denique unanimi Sanctorum Patrum consensu passim docetur. Nec contra facit quod de Pane & Vino*

S. Eu-

S. Eucharistiæ quasi de ipso Corpore, ipsoque Sanguine Domini, quandoque loquantur, usitatâ scilicet, ubi de Sacramentis Sermo fit, Phraseologiâ, quâ rei significatæ nomen ipsi signo tribuitur. Nam iidem ipsi Sancti Patres eundem Panem & Vinum Eucharisticum, Typos, Symbola, Signa, Figuram Corporis & Sanguinis Christi passim vocare solent; unde liquet eos nobiscum, non cum Transubstantiatoribus sentire. Possumus enim, incolumi nostrâ de Sacramento Eucharistiæ sententiâ, prioribus illis uti loquutibus quas sibi favere Pontificii arbitrantur, modò eas, uti par est, Sacramentaliter intelligamus; Posterioribus verò uti nemo potest, quin eo ipso quod iis utitur, figmentum Transubstantiationis evertat, quandoquidem ista duo, Panem in Corpus Christi Transubstantiari, & esse simul Typum, Symbolum, Signum, Figuram *Corporis Christi, sint prorsus ἀσύστατα. Nam res quæ desit esse, alterius rei, nedum sui ipsius, Typus, Symbolum, Signum*

Signum aut Figura esse nequit. Sed ista in ipso opere fusius habentur. Expectet jam fortè lector ut de præstantissimo Historicæ hujus Dissertationis Authore nonnulla saltem hîc addantur, postquam de illius scribendæ atque in vulgus mittendæ occasione dictum est. Verùm aggredienti tanta surget dicendorum seges, si vel attingantur singula quæ de Viro magno memoratu digna sunt, ut nequeant absque magnâ tum Ipsius tum Lectoris injuriâ præfationis Angustiis concludi. Sed id, Deo dante, alio loco præstabitur. Unum tamen Lectorem non nescire velim, Virum hunc eruditissimum atque, uti jam liquet, Reformatæ religioni addictissimum, in iis, vel in primis, fuisse quos Puritani ante turbatam Angliam, *defectionis ad Pontificios accusabant : quo nomine gravia multa ab iis passus, ut graviora vitaret, in exilium ire coactus est. In eâ tamen calumniâ pergebant homines maledicentissimi, eo ipso tempore, quo Vir optimus hanc Dissertationem Scribebat adversus Transubstantiationem.* Vale.

ELEN-

ELENCHUS
Capitum hujus Libri.

PRÆFATIO *de occasione scribendæ hujus Dissertationis.*

CAPUT I. p. 1.

In quo I. *Realis, id est Vera & non imaginaria, Christi Præsentia, in Sacramento Eucharistiæ è S. Scripturis adstruitur.* II. *&* III. *Quod tamen Transubstantiatoribus haud favet, quum non Crassè aut Carnaliter, sed Mysticè & Sacramentaliter intelligendum sit.* IV. *Sacramentorum Natura & Ratio.* V. *Mediantibus Elementis Panis & Vini ipse Christus Spiritualiter & Mysticè à fidelibus manducatur.* VI. *Præsentia & Manducatio Spiritualis non tollit Rei Veritatem sive Substantiam.* VII. *Modus Præsentiæ imperscrutabilis nec temere definiendus.*

CAP. II. p. 6

I. II. III. & seqq. *Protestantium omnium Consensus de Reali, id est Verâ* * *Præsentiâ Christi in Eucharistiâ manifestè constat, tùm ex variis Ecclesiæ* Anglicanæ *Libris publicâ Autoritate editis, ut & ex Virorum in eâdem Ecclesiâ Probatissimorum & Celeberri-*

* *Sed non Carnali.*

herrimorum ſcriptis, quàm ex aliis Reformatarum Eccleſiarum Publicis Confeſſionibus.

CAP. III. p.32

I. *Quid per* τὸ Chriſtum Spiritualiter Præſentem eſſe in Euchariſtiâ *intelligant* Romanenſes. II. *Quid per illud ipſum* Bernardus *intellexerit.* III. *Quid per id intelligant Proteſtantium Eccleſiæ* IV. *Fides Præſentiam Chriſti non facit, ſed præſupponit.* V. *Unio Corporis Chriſti cum Symbolo Panis, Sacramentalis eſt.*

CAP. IV. p.38

I. *De Tranſmutatione Panis & Vini in Corpus & Sanguinem Domini, quæ Pontificiis* Tranſubſtantiatio *dicitur.* II. *De Omnipotentiâ Dei.* III. *De Accidentibus Panis.* IV. *Sacramenmentalis Unio Signi & Signati.* V. & VI. Status *Controverſiæ tam negativè quam affirmativè declaratur.* VII. *Concilii* Tridentini *definitio. Bulla* Pii *IV. Papæ, & Forma Juramenti ab eodem Papâ præſcripti. Decretale* Innocentii *III.* Jeſuitarum *Dictata.* VIII. *Portentum ingens* Tranſubſtantiatio.

CAP. V. p.53

Tranſubſtantiationem, *nec ſecundum Vocem aut Nomen, nec ſecundum Rem aut Sententiam in S. Scripturis, aut antiquis Eccleſiæ Doctoribus, haberi, imò cum eiſdem pugnare oſtenditur; atque adeò, de fide non eſſe.* CAP.

Elenchus Capitum hujus Libri.

CAP. VI. p.101

I.II.III. & seq. *In quibus Veteris Ecclesiæ Doctrinam & Praxin cum doctrinâ de* Transubstantiatione *pugnare fusiùs ostenditur; Atque ad Objectiones Pontificiorum, ex Antiquitate frustrà quæsitas, respondetur.*

CAP. VII. p.127

De Scriptoribus Sæculi Undecimi & Sequentis, è quibus clarissimè deducitur HISTORIA TRANSUBSTANTIATIONIS PAPALIS. I. *Papæ istorum temporum quales fuerunt.* II. *Infelix Seculum, quo scindebantur Theologi circa Rem Eucharisticam.* III. Fulberti *Sententia.* IV. *Quam sequitur ejus Discipulus* Berengarius, *cui alii contradicunt.* V, VI. Berengarii *Doctrina defensa.* VII. Leonis *Noni rugitus contra* Berengarium. VIII. Victoris *II. Synodus* Turonensis *quæ* Berengarium *tanquam rectè sentientem dimisit.* IX. Nicolaus *II. Papa novam indicit Synodum contra* Berengarium, *Cui iniqua atque stupenda Recantatio injuncta est.* X. *Glossæ Ordinariæ Censura de istâ* Berengario *præscriptâ Recantatione.* XI. *Quam per vim & metu mortis sibi extortam fuisse dixit.* Lanfrancus *&* Guitmundus *contra eum scribunt.* XII. Hildebrandus *Papa, & ejus Concilium* Rom. *ad quod* Bereng. *iterum vocatus est & frustrà condemnatus.* XIII. *S.* Bernardi *Doctrina approbata.* XIV. Ruperti *Sententia.* XV. *P.* Lomb. *de Transubstantiato Pane nihil definire potuit, & de Acci-*

Accidentibus Panis ſine Subjecto miſerabiliter philoſophatur. XVI. Otho Friſingenſis *& ejus Coætanei Panem & Vinum in Euchariſtiâ vera manere fatentur.* XVII. *P.* Bleſenſis *& St.* Eduenſis *notantur, qui primi omnium* Tranſubſtantiationis *Vocabulum uſurpârunt.* XVIII. *Seculum XIII. in quo* Innocentius *III. Papa, Decretum ſuum de Tranſubſtantiatis Pane & Vino in Corpus & Sanguinem Domini publicavit.* XIX, & XX. Innocentii *III. mira arrogantia. Synodus* Lateranenſis *de hoc Articulo nihil decrevit.* XXI. *Ejuſdem* Innocentii *Crudelitas, qui per Carnificinas & Vivicomburia novam fidei ſuæ doctrinam ſtabilire voluit.* XXII. Gerſonis *Dictum de* Romanâ *illius temporis Eccleſiâ. Multa figmenta è Tranſubſtantiatione orta. Quæſtiones portentoſæ & inextricabiles.* XXIII. *Monachorum Novi Ordines & Scholaſtici.* XXIV. *Eorum Altercationes & diſputationes abominandæ.* XXV. *Sacramentum indigniſſimè tractatum ab eis, qui illud in proprium Corpus Chriſti Tranſubſtantiatum crediderunt.* XXVI. & XXVII. Holkot, Aquinas, Albertus *magnus, & alii Scholaſtici, quamvis pro Tranſubſtantiatoribus aliquando non faciant, omnia tamen ad Papæ* Romani *judicium referunt.* XXVIII. *Synodus* Conſtantienſis, *quæ Poculum Laïcis abſtulit.* XXIX. *Card.* Cameracenſis *Tranſubſtantiationem ex S. Literis probari poſſe negat.* XXX. *Synodus* Florentina *& Eugenii IV. Inſtructio Armenorum notantur.* XXXI. *Anathema Papale in Synodi* Tridentinâ *nulli formidandum. Concluſio Operis.*

CAPUT

CAPUT I.

I. *Realis, id eſt Vera & non imaginaria Chriſti Præſentia in Sacramento Euchariſtiæ è S. Scripturis adſtruitur.* II. & III. *Quod tamen Tranſſubſtantiatoribus haud favet, quum non Craſſe aut Carnaliter, ſed Myſtice, ſpiritualiter & Sacramentaliter intelligendum ſit.* IV. *Sacramentorum Natura & Ratio.* V. *Mediantibus Elementis Panis & Vini, ipſe Chriſtus ſpiritualiter & Myſtice à fidelibus manducatur.* VI. *Præſentia & Manducatio Spiritualis non tollit Rei veritatem ſive ſubſtantiam.* VII. *Modus Præſentiæ imperſcrutabilis, nec temere definiendus.*

I. QUÆ à Chriſto Domino in ſolenni hujus auguſtiſſimi Sacramenti Inſtitutione, ad perpetuam ſui Commemorationem prolata ſunt verba;] nempe *Hoc eſt Corpus meum, quod pro vobis traditur: Hic eſt ſanguis meus,* Mat. 26. 26. Luke 22. 19.

meus, qui pro vobis effunditur in remissionem peccatorum] omnino infallibilia, atque verissima esse, Universa per Orbem Terrarum sancta confitetur Ecclesia. Si quis autem contrarium affirmaverit, aut veracitatem Christi in dubium vocare ausus fuerit, dictisve ejus fidem derogârit, nec iis adsensum suum præbuerit, nisi per figmentum & nudam figuram expositis & detortis; illum * in Ecclesiis nostris nec tolerare, nec excusare, vel possumus vel debemus. Quicquid enim *Sacra* nos docet *Scriptura*, id nobis verum ac indubitatum esse oportet. Verum igitur, nec minus indubium esse fatendum est quod dixit Christus: [a] *Caro mea verè est Cibus, & Sanguis meus est Potus*; Quæ, juxta B. Paulum, per Panem & Poculum nobis communicantur: eundem enim *Panem* [b] *Communionem Corporis Christi*, itidemque *Poculum Sanguinis ejus Communionem* appellavit.

II. Ex quibus B. Apostoli verbis manifeste constat quòd Panis & Poculum (quæ hujus S. Euchristiæ Symbola dicuntur) nequaquam Substantialiter transmutata, aut penitus sublata, vel destructa sint; sed in hunc finem per verba Christi solenniter consecrata, ut Com-

* *Ut alicubi scripsit* G. Calixtus *in eruditis. suis Exercitationibus; & ante eum* Mart. Chemnitius *in Exa. Conc. Trid. atque in Locis Theologic.*

[a] Joh. 6. 55.

[b] 1 Cor. 10. 16.

Communicationi Corporis & Sanguinis sui certissime inserviant.

III. Atque hinc itidem liquet, Locutionem tam Christi quàm Apostoli Sacramentaliter & Mystice intelligendam esse, neque Crassam aliquam aut carnalem Corporis Sanguinisque Præsentiam ex eorum verbis posse adstrui.

IV. Et licet vox ipsa *Sacramenti* in S.S. nusquam de Eucharistiâ usurpetur, Ecclesia tamen Christi à primis inde seculis hoc Nomine S. Eucharistiam insignivit, & Præsentiam Corporis ac Sanguinis Domini Mysticam & Sacramentalem semper appellare consuevit. Sacramentalis autem Locutio nomen Rei signatæ ipsi etiam cSigno non incommode tribuit: Sacramentorum enim Natura, & usitata de ipsis loquendi ratio postulare videtur, ut Symbolis non solum Rerum nomina, sed & earum proprietates, imò effecta, tribuantur. Atque hanc ob causam Panis ille *Communio* Corporis Christi, tam perspicuè (prout antea dicebamus) quàm appositè, ab Apostolo appellatur.

c Exod. 12. 11 (Agnus iste) *est Pascha Jehovæ.* Exod. 12. 21. *Jugulate* (Agnum) *ipsum Pascha Jehovæ.* 1 Cor. 10. 3. *eandem Escam Spiritualem.* 1 Cor. 10. 4. *Petra illa erat Christus.*

V. Hoc quoque planum est, non tam fuisse Christo propositum docere, quid Elementa Panis & Vini sint naturâ atque substantiâ suâ, quàm quid in hoc My-

ſterio ſint ſignificatione, uſu, & officio; quum non tantùm per hæc Elementa corpus & Sanguis Domini aptiſſime repræſententur, ſed etiam iis mediantibus ipſe Chriſtus ex ipſius inſtituto veriſſime omnibus exhibeatur, & à fidelibus Sacramentaliter ſive Myſtice manducetur: unde fit, quòd & [d] *Nos in illo, & Ille in nobis vere ſit & maneat.*

[d] S. Joh. 6. 56.

VI. Atque hæc eſt Spiritualis illa (non minùs tamen vera & indubia quàm ſi corporalis eſſet) Chriſti carnis Manducatio, non quidem ſimpliciter, quatenus caro eſt abſque omni alio reſpectu; (ſic enim nec præbetur nobis nec prodeſt:) ſed quatenus crucifixa, & pro Mundi Vita * tradita erat. Spiritualis enim carnis Chriſti Manducatio, per quam operante Spiritu ſancto, Animæ fidelium, non Ventres paſcuntur, veritatem & ſubſtantiam Rei nequaquam tollit. Quod nemo unquam diffitebitur, niſi qui faſtidito Spiritu & Operatione divina nihil præter carnem ſapit, & cui quod Spirituale & Sacramentale eſt, perinde eſt ac ſi Nihil eſſet.

* Corpus quod pro vobis traditur. Sanguis qui pro vobis effunditur. *vt ſupra Num.* I.

VII. Modum verò Præſentiæ Corporis Sanguiniſque Domini in S. Euchariſtia, Nos qui Proteſtantes ſumus & ad normam Priſcæ ac Catholicæ Eccleſiæ Reformati,

Reformati, anxie non scrutamur; sed (quod fecit prima & purissima Dei Ecclesia) eum Sapientiæ & Potentiæ Domini committimus, ejusque verbis acquiescimus, & assensum verâ ac indubiâ fide præbemus. Idem si fecissent olim, aut nunc facerent Transubstantiatores Pontificii, neque Modum Præsentiæ nuper ab eis excogitatum, tanquam * Articulum fidei omnibus salvandis absolute & simpliciter necessarium, sub diro Anathemate determinâssent, minus profectò rixarum, plus pacis & concordiæ in Ecclesia Dei hodie haberemus.

* *In Conc. Trid.*

CAPUT. II.

I. II. III. & seqq. *Protestantium omnium Consensus de Reali, id est, vera* * *Præsentia Christi in Eucharistia manifestè constat, tam ex variis Ecclesiæ* Anglicanæ *Libris publica Autoritate editis, ut & ex virorum in eadem Ecclesia probatissimorum & celeberrimorum Scriptis, quàm ex aliis Reformatarum Ecclesiarum Publicis Confessionibus.*

* *Sed non Carnali.*

I. DE Reali igitur (id est vera & non imaginaria) Præsentia Corporis & Sanguinis Christi in Eucharistia, Protestantium Ecclesiæ nullæ dubitant; neque locus relinquitur ut quisquam de earum communi Confessione aliquid mali suspicetur, quasi à Fide Catholica hâc in parte vel tantillùm discederent.

II. Faci è enim est, Consensum Scriptorum & Ecclesiarum Reformatarum producere, quo c ariſſimè omnibus (quibus quidem mens vel oculus non laborat) ostendi potest, illos omnes istius Veritatis tenaci ſimos esse, atque à prisca & Catholica fide nullatenus recessisse.

III.

III. Ordiar ab ECCLESIA ANGLICANA; ubi qui in sacris constituti sunt omnes lata lege tenentur, a *Ne quid unquam doceant quod à populo religiosè credi velint, nisi quod consentaneum sit doctrinæ veteris aut novi Testamenti, quodque ex illa ipsa doctrina Catholici Patres & veteres Episcopi collegerint: qui secus fecerit, & contrariâ doctrinâ populum turbaverit excommunicandus est.* Docet igitur in Sacramento Eucharistiæ, b *Corpus Christi dari, accipi, & manducari, atque adeo rite sumentibus Panem consecratum & fractum esse communicationem Corporis Christi; similiter & Poculum benedictum esse communionem Sanguinis Christi: Impios autem, & indignè ad tantæ rei sacramentum accedentes, illud sibi ad judicium manducare, & condemnationem bibere, quia efficiuntur rei ejusdem Corporis & Sanguinis Domini.* Orat etiam in solenni ante benedictionem elementorum Prece in hunc fermè modum; f *Concede quæsumus, misericors Domine, ut sic edamus Carnem filii tui dilecti Jesu Christi, & bibamus ejus Sanguinem, ut nostra corpora peccatis inquinata munda fiant perceptione sacratissimi Corporis illius, & nostræ animæ laventur pretioso ipsius Sanguine, atque ut perpetuò habitemus in*

Ecclesiæ Anglicanæ Confessio.

a In Libro Canonum publicâ autoritate, edit. An. 1571. Cap. de Concion.

b Articuli Religionis Christianæ in quos consensum est ab Episc. &c. in legitimâ & sanctâ Synodo Ecclesiæ Anglicanæ. An. 1562, Cap. 28. & 29. & publicis Regni Legibus stabiliti.

f *In ordine sacræ communionis, Regni Legibus confirmato.*

eo, & ipse in nobis; *Amen.* Sacerdos autem sive Presbyter Panem & Vinum benedicens, seu consecrans, sic ait, [g] *Exaudi nos quæsumus, misericors Pater, & concede ut nos sumentes has tuas creaturas, Panem et Vinum, juxta sacrosanctam Institutionem filii tui Servatoris Nostri Jesu Christi, in memoriam ejus mortis & passionis, participes simus sanctissimi Corporis & Sanguinis ejus; Qui eâdem nocte quâ* [h] *tradebatur,* [h] *accepit Panem, & gratias agens fregit, ac dedit discipulis suis, dicens, Accipite, Comedite, Hoc est Corpus meum, quod pro vobis datur, hoc facite in commemorationem mei. Similiter postquam cœnatum est,* [i] *accepit Calicem & gratias agens dedit illis, dicens; Bibite ex hoc omnes, hic enim est Sanguis meus Novi Testamenti, qui pro vobis & pro multis effunditur, in remissionem peccatorum; hoc facite quotiescunque biberitis, in commemorationem mei.* Idem Minister populo in genua provoluto Eucharistiam tradens, quum exhibet Panem, dicit. [k] *Corpus Domini nostri Jesu Christi, quod pro te traditum est, conservet corpus tuum & animam tuam in vitam æternam.* Similiter Poculum exhibens ait, *Sanguis Domini nostri Jesu Christi qui pro te effusus est, conservet*, &c. Deinde post Communionem, subjungit gratiarum

[g] *Ibidem.*

[h] *Ad hæc verba Presbyter Panem in manus suas accipit.*

[i] *Ad hæc verba similiter Calicem accipit.*

[k] *Ibidem.*

gratiarum Actionem, & Precem, *Quòd nos qui hæc Sacrosancta Mysteria rite percepimus, pascere dignetur Deus Spirituali Cibo pretiosissimi Corporis & Sanguinis Christi, &c.* unâ cum Hymno, *Gloria in excelsis Deo*, &c. Quin & in communi ejusdem Ecclesiæ Nostræ CATECHISMO, publica autoritate edito, atque omnibus præscripto, ad Interrogationem de Interna parte hujus Sacramenti, respondetur, [m] *Quod sit Corpus & Sanguis Christi, quæ à fidelibus Vere et Re ipsa* (sive Realiter) *in S. Cœna Domini recipiuntur.* Et in Apologia pro eadem Ecclesia, quam præstantissimus Præsul, *Joh. Juellus* Episcopus Sarisburiensis publicavit, [n] disertè pronuntiatur, *in S. Cœna credentibus vere exhiberi Corpus & Sanguinem Domini, Carnem filii Dei vivificantem animas nostras, Cibum supernè venientem, immortalitatis alimoniam, gratiam, veritatem, vitam: eamque Communionem esse Corporis & Sanguinis Christi, ut nos in illo maneamus, & ille in nobis; utque pro certissimo habeamus, id esse Animis nostris alendis Corpus & Sanguinem Christi quod alendis Corporibus est Panis & Vinum*

m Catechismus *una cum Liturgiâ editus.*

n Apologia Ecclesiæ Angl.

IV. Paulò ante hanc conscriptam Apologiam prodierat *Dialacticon celeberrimi Viri Johannis Poineti* Episcopi *Wintoniensis*

toniensis de Veritate, Naturâ, atque Substantiâ Corporis & Sanguinis Christi in Eucharistiâ; quod non alio consilio edidit, quàm ut fidem & doctrinam Ecclesiæ Anglicanæ illustraret. Et primò ostendit *Eucharistiam non solùm figuram esse Corporis Domini, sed etiam ipsam Veritatem, Naturam, atque Substantiam in se comprehendere; idcirco nec has voces Naturæ & Substantiæ fugiendas esse; veteres enim de hoc Sacramento disserentes ita loquutos fuisse.* Secundò quærit, *an voces illæ,* Veritas, Natura, et Substantia, *communi more in hoc mysterio à Veteribus intelligebantur, an peculiari & Sacramentis magis accomodatâ ratione? Neque enim observandum esse solùm, quibus verbis olim Patres usi sint, sed quid istis significare ac docere voluerint.* Et licet discrimen ipse cum Patribus agnoscat, inter Corpus Christi formam humani corporis naturalem habens, & quod in Sacramento est Corpus mysticum, maluit tamen discrimen illud *ad modum præsentiæ & exhibitionis,* quàm *ad ipsam rem subjectam, hoc est Corpus Christi verum,* accomodari; quum certissimum sit non aliud Corpus in Sacramento fidelibus dari, nisi quod à Christo pro fidelium salute in mortem traditum fuit. Tertiò denique, *Spiritualem*

f. malim. v. ye sacramental part of ye Eucharist explained, p Waterland. p. 45.

lem hîc intelligentiam, juxta communem & consentientem veterum Patrum interpretationem, requiri statuit, *& carnalem omnem cogitationem excludi.*

V. *Poineto* succesſerunt in eâdem Sede *Wintonienſi* Reverendiſſimi *D. D. T. Bilſonus* & *L. Andreas*, utrique viri undequaque doctiſſimi, & antiquæ fidei Epiſcopi, qui ſcriptis ſuis in lucem editis doctrinam et fidem Eccleſiæ Anglicanæ, cùm ſacræ Scripturæ, tum veterum Patrum Theologiæ, conſonam per omnia, clariſſimè demonſtrârunt. Et, quod ad hoc myſterium attinet, agit quidem ille in [a] Reſponſione ad Apologiam Cardinalis *Alani*; Hic verò in Reſponſione ad Apologiam Cardinalis *Bellarmini*, ubi verba reperiuntur lectu apprimè digna, quæ ſubjicio. *Dixit Chriſtus, Hoc eſt Corpus meum, nobis autem vobiſcum de objecto convenit, de modo lis omnis eſt. Fide firmâ tenemus, quòd Corpus Chriſti ſit, de modo quo fiat ut ſit, nullibi in Evangelio verbum eſt; & quia verbum nullum, meritò à fide procul ablegamus; inter ſcita Scholæ fortaſſe, inter Fidei articulos non ponimus. Quod dixiſſe olim fertur Durandus, neutiquam nobis diſplicet.* [*Verbum audimus, motum ſentimus, modum neſcimus, præſentiam credimus:*] *Præſentiam credimus, nec minùs*

[a] *T.* Balſoni *Reſp. ad Apol. Card. Alani lib.* 4.

[b] *L.* And. *Reſp. ad Apolog. Card. Bellarm. c.* 11. *p.* 11.

nùs quam vos, Veram. De Modo Præsentiæ nihil temerè definimus, addo, nec anxiè inquirimus; non magis quàm in Baptismo nostro, quomodo nos abluat Sanguis Christi; non magis quàm in Christi Incarnatione, quomodo naturæ divinæ humana uniatur. Inter Mysteria ducimus (& quidem ipsa Eucharistia Mysterium est) cujus quod reliquum est debet igne absumi, id est, ut eleganter inprimis Patres, fide adorari, non ratione discuti.

VI. Similia habent [c] *Isaubonus* in Epistola nomine serenissimi *REGIS JACOBI* scripta ad Card. *Perronium*, & [d] *Hookerus* Polit. Eccles. Lib. V. [e] *Joh.* Episcopus *Roffensis* de Potestate Papæ. R. [f] *Montacutius* Episcopus *Norwicensis* in Antidiatribis contra *Bulingerum*. [g] *Jacobus* Primas *Armachanus* in Resp. ad *Jesuit. Hibernum*. *Franciscus* Episcopus *Elienſis* & *Guliel. Laudus* Archiep. *Cantuar.* Resp. ad *Fischerum*, [h] *Joh. Overalius* Episcopus *Norwicensis*, Aliique quàm plurimi, qui à fide priscâ & Catholicorum Patrum doctrinâ, in Ecclesiâ *Anglicanâ*, magnâ religione receptâ, atque publicis Regni Legibus [i] confirmata nequaquam discesserunt.

VII. His autem non immeritò annumerandus est Celeberrimus Antistes [k] *Marcus*

c Casaub. *Ep. ad Card.* Perron.
d Hook. *l.* 5. §. 67.
e *Episc.* Roff. *de Pot. Papæ, præf. ad Lect.*
f Montacutius *in Antidiat.* 13.
g Jacob. Armach. *in Resp. ad* Jes. Hib. *Cap de Reali præsentiâ.*
h *in M. S. brevi edendo.*
i *Stat.* 10. Eliz. *c* 1°. *&* 8°. Eliz. *c.* 12. *&* 13°. Eliz. *c.* 1. *&c*
k Marcus Antonius de Dominis, *Archiep. Spalat.*

cus Antonius de Dominis Archiepiscopus Spalatensis, Vir in S. Scripturis & antiquorum Patrum Monumentis versatissimus. ¶ Qui relicta Italiâ (ubi tutò aut quietò esse ei non licuit) hortatu sapientissimi Viri & intimi ejus amici *Pauli Veneti*, ad Patrocinium Sereniſſimi Regis *Jacobi*, & Ecclesiam *Anglicanam*, velut ad tutissimum Portum & Asylum sese contulit, eique Ecclesiæ fideliter in omnibus Religionis Articulis adhæsit. Sed quum à rigidis quibusdam hominibus, passim & acriter contra ejus vitam ac mores injustè declamantibus fatigatus, atque multis quotidie injuriis & convitiis lacessitus esset; tandem ad suos in *Italiam*, sub salvo conductu, redire statuit. Antequam verò abiret, interrogatus a Rege, per Commissarios quosdam Episcopos; Quid de Religione & Ecclesiâ *Anglicanâ* (cui se per tot annos addixerat) pronuntiare ac dicere vellet, quum ad Pontificem & *Romanam* Curiam perveniſſet, mox sumpto calamo manu propriâ scripsit quæ sequuntur, & hîc lectu digna sunt; *viz. Ego profitebor coram ipso Papâ, etiam cum discrimine vitæ meæ, Ecclesiam Anglicanam esse veram & Orthodoxam Ecclesiam Christi*; Et, quod promisit, præstitit. Quamvis enim subitò post ejus decessum

sum ab *Angliâ* prodiit Libellus sub e-mentito illius nomine *Belgicis* typis ex-cusus, quo Libri titulo multi boni Viri, & quidem inter *Anglos*, decepti, contra eum tanquam Apostatam & alterum *Ece-bolium* scripserunt; tamen quum *Romam* ipse pervenerit (ubi in Ædes Papæ *Gre-gorii XV.* olim ipsius condiscipuli humani-ssimè exceptus fuit) adduci nunquam po-tuit per *Jesuitas* & alios ad eum con-luentes, vel ut *Tridentinorum* nuperis de fide Dogmatibus subscriberet, vel Or-thodoxos quos in *Angliâ* atque *Germa-niâ* ediderat Libros, revocaret, vel de-nique ut *Anglicanæ* Ecclesiæ (in cujus defensione constanter ad extremum usque halitum perstitit) nuntium remitteret. Quinimo, statim post *Gregorii* mortem, à *Jesuitis* & Inquisitoribus raptus est in Carcerem intra Castrum S. *Angeli*, ubi ma-le tractatus & inediâ fere consumptus le-thalem morbum contraxit, & intra paucos dies, non sine suspicione Veneni, diem suum supremum obiit. Postridie verò mor-tui Cadaver, ex Inquisitorum sententiâ infami flammâ ad stipitem publicè com-bustum fuit; non aliam ob causam quàm quod idem Archiepiscopus Ecclesiæ *Anglicanæ* fidem ejurare, & nuperis qui-busdam Synodi *Tridentinæ* decretis, pro fide

fide Catholicâ habendis ac recipiendis subscribere minimè voluerit. Atque hæc, quæ forsan non adeò multis innotescunt, in hunc locum datâ occasione, eò inferenda duxi, ut inde clariùs ostenderem, Reverendissimum hunc Antistitem, de universâ Dei Ecclesiâ optimè meritum, inter *Anglicanæ* Ecclesiæ scriptores (uti antea dicere cœperamus) meritò recenseri.

¶ Audiamus igitur quid ille, quum esset in *Angliâ*, ubi Libros suos de Rep. Eccl. Typis ac auspiciis Regiis excudit (Lib. V. Cap. VI. Num. 20.) scripserit & docuerit, *Per mille profectò annos* (ait) *Ecclesia Sancta Catholica sobriâ divinorum Mysteriorum cognitione contenta, & piè credidit, et tutò docuit, in Eucharistiâ legitimè consecratâ fideles Corpus & Sanguinem Christi agnoscere, & recipere, ac manducare, atque in eo Sacro Pane Sacroque Vino Corpus & Sanguinem Christi exhiberi; Modum verò particularem, quo Christi Corpus & Sanguis in Sacris hisce Mysteriis sive Sacramentis exhibetur, piè, humiliter, & religiosè ignorare voluit. Rem ipsam & effectum læta tenebat, à Modo inquirendo humilis & devota abstinebat.* Item (Num. 73.) *Verè, imò verissimè, in Eucharistiâ exhibetur Verum & Reale Corpus Christi, sed Spiritualiter, non Corporaliter.*

poraliter. Rursus (Num. 169.) *Ipsam veram naturam Christi Carnis Realem & Substantialem in Sacrâ Communione nos recipere, omnes Evangelio credentes fatebuntur, non dubito. Dicimus omnes, Corpus Christi adesse, quoad Rem & Naturam; quoad Modum verò (h. e. Carnaliter & Corporaliter) Christum adesse, negamus pariter cum* Bernardo, *& omnibus Patribus.* Et in Append. ad *Ambrosium* Num. 7. *Scio & admitto cum Pane manente Pane nobis Verum & Reale Christi Corpus exhiberi, non tamen Corporaliter: in Re consentio, à Modo dissentio. Itaque, etiamsi ultimus terminus mutationis Panis sit, secum adducere in animas dignè communicantium ipsum Verum Christi Corpus, quod est substantia (Sacramenti:) non tamen sequitur, ipsum Panem amittere suam substantiam, & inducere substantiam Corporis Christi,* &c. Hæc & alia multa huc facientia, & Religioni tàm Ecclesiæ *Anglicanæ* quàm omnium aliorum Protestantium consona, scripsit in ipso eodem Capite VI. Libri V. de Rep. Eccl. & in annexâ post Librum VI. *Ostensione Errorum Franciſci Suarezii, Jesuitæ* famosissimi, qui calamum suum strinxerat contra Regem *Jacobum*, & *Errores* (scilicet quos vocat) Ecclesiæ *Anglicanæ*.

Quàm

liquidò probat Archiepiscopus in ejusdem Libri Cap. 2. cui Titulum posuit; *Articulos, pro quibus Pontificii contra Reformatos pugnant, ad fidem Catholicam non spectare*, (veluti *Transubstantiationem*, &c.)

VIII. Quæ verò *Germanorum* Protestantium sit Sententia & Fides, liquet imprimis ex *Augustanâ* Confessione à Principibus Imperii & Viris maximis *Carolo* V. oblatâ. Docent enim, quòd *non solum Panis & Vinum, sed etiam ipsum Corpus & ipse Sanguis Christi vescentibus in Cœnâ Domini Verè exhibeantur*; sive (ut in aliâ editione reperitur) quòd *Corpus & Sanguis Christi Verè adsint & distribuantur vescentibus in Cœnâ Domini*, improbantque secus docentes. Docent etiam, *ità utendum esse Sacramentis, ut accedat Fides credens Promissionibus, quæ per Sacramenta exhibentur & ostenduntur*. Ubi tamen Fides non facit res præsentes quæ promittuntur; Fides enim, ut constat, magis propriè dicitur accipere & apprehendere quàm vel polliceri, vel præstare: Sed verbum Dei, & Promissio cui Fides nostra innititur (non verò fides hominum) præsentia reddit quæ promittit; quemadmodum inter Reformatos & Pontificios aliquot consensum est in Col-[a] Germanicarum Ecclesiarum *Confessio* Augustana.

[a] *Collat.* Sangermani 1561

latione *Sangermani* habitâ: malè enim à multis *Romanensibus* nobis objicitur, quasi crederemus, hanc Christi Præsentiam & Communicationem in Sacramento per nudam Fidem tantùm effici.

Saxonica Confessio

IX. *Saxonica* Confessio fidei, ab aliis Ecclesiis comprobata, non alia est quàm quædam repetitio Confessionis *Augustanæ*. In eâ [b] docentur homines, *Sacramenta esse actiones divinitùs institutas, & quamvis tenendum est extra usum institutum res ipsas non habere rationem Sacramenti, in usu tamen instituto Verè & Substantialiter in hâc Communione adesse Christum & Verè exhiberi sumentibus ejus Corpus & Sanguinem; Christumque testari, quòd sit in eis, sicut &* [c] Hilarius *inquit; hæc accepta & hausta faciunt, ut & nos in Christo, & Christus in nobis sit.*

b *Art.* 15.

c *S.* Hilar. *de Trin.* lib. 8.

Confessio Wittembergica.

X. Similis est Confessio *Wittembergica*, quæ *Tridentinæ* Synodo proposita fuit, Anno Domini 1552. In illâ enim de Eucharistiæ Sacramento docetur [d] quòd *Verum Corpus Christi & Verus Sanguis ejus in eâdem distribuantur*; refutantque eos qui dicunt, *Panem & Vinum Eucharistiæ esse tantùm absentis Corporis & Sanguinis Christi signa.*

d *In Præfat.*

Confessio Bohemica.

XI. Accedat & *Bohemica* Confessio (eorum

(eorum quos quidam rerum ignari *Picardos* & *Waldenſis* per contemptum vocant) â Baronibus & aliis Nobilibus Regni *Bohemiæ* Sereniſſimo Regi *Ferdinando* oblata, ſcriptiſque *Lutheri* ac *Melanchthonis*, atque etiam inclytæ Academiæ *Wittembergenſis* ſuffragio comprobata. Quæ [e] *corde credendum ac ore confitendum* docet, *Panem cœnæ Dominicæ Verum Christi Corpus eſſe, quod pro nobis traditum eſt; Calicemque Verum Sanguinem ejus, qui pro nobis fuſus eſt: Christi autem verbis nemini licere de ſuo quidquam affingere, admiſcere, aut detrahere.* Quum quidam verò Sacerdotes hanc illorum Confeſſionem multis obtrectationibus onerarent, reſpondent, *Calumniatores ſe refellere nunquam non paratos eſſe, & indubitabili fide ac firmiſſimis argumentis oſtendere, ſe, quales eos adverſarii faciunt, nec unquam fuiſſe, nec eſſe, nec, Deo volente, futuros eſſe.*

[e] *Art.* 13.

XII. Subjungo Conciliationem Articulorum de cœnâ Domini, & mutuum Conſenſum inter Eccleſias Majoris & Minoris *Poloniæ*, in Synodo *Sendomirienſi* factum, [f] *Convenimus* (inquiunt) *in ſententiâ verborum Domini, ut illa orthodoxè intellecta ſunt a Patribus; atque, ut expreſſiùs claruiſque loquamur, Credimus*

Conſenſus Polonicus.

[f] *Statim poſt initium.*

& Confitemur substantialem præsentiam Christi non significari duntaxat, sed Verè in Cœnâ Domini ritè vescentibus repræsentari, distribui, & exhiberi Corpus & Sanguinem Domini, symbolis adjectis ipsi rei minimè nudis, secundum Sacramentorum naturam. Ne verò diversitas formularum loquendi contentionem aliquam pariat, placuit mutuo consensu adscribere Articulum Confessionis Saxonicarum *Ecclesiarum de Cœnâ Domini ad* Tridentinum *Concilium missæ: Quem etiam pium agnoscimus & recipimus.* Ideoque repetunt hujus Articuli verba integra, paulò antè memorata.

Confessio Theologorum Argentinæ & Basileæ.

XIII. Erat aliquando in eâ opinione *Lutherus*, quasi Theologi *Basilienses* & *Argentinenses* nihil aliud in Cœnâ Domini esse faterentur, præter Panem & Vinum. Cui *Bucerus*, reliquorum omnium nomine, ingenuè & apertè respondit; *Libenter se quidem, omnesque alios, hunc errorem damnaturos; ipsos enim cum* Helvetiis *nunquam ità vel docuisse vel sensisse; neque nominatim cuiquam, præter* Anabaptistas, *hunc errorem tribuendum esse: Se verò aliquando etiam in eâ sententiâ fuisse, quod scilicet* Lutherus *in suis scriptis nimium externis Symbolis tribuerit, & crassiorem unionem Christi cum Pane,*

Pane, statuerit quàm qualem Scriptura admittat ; quasi Christus in Pane adsit Corporaliter, & in unam Naturalem cum Pane Substantiam uniatur, cujus etiam contactu, vel gustu, omnes, tam impii quàm fideles, gratiæ participes fierent : Ipsorum porrò fidem & doctrinam de hoc Sacramento hanc esse, quòd sentiant in eo, ex institutione & opere Domini Verè (prout verba illius sonant) Verum Corpus & Verum Sanguinem suum, unâ cum visibilibus Signis Pane & Vino, exhiberi, dari, & sumi; & sic non solum Zuinglium & Oecolampadium *docuisse, sed ipsos quoque in publicis Ecclesiarum Superioris* Germaniæ *Confessionibus, aliisque scriptis, confessos esse ; dissidium verò magis esse de Modo absentiæ vel presentiæ, quàm de ipsâ præsentiâ vel absentiâ* ; quæ quidem omnia *Buceri* Socii post eum confirmârunt. Et simul addidit, *Magistratus in suis Ecclesiis severissimas pœnas denuntiâsse iis qui negarent Corporis & Sanguinis Christi in S. Cœnâ præsentiam.* Hanc verò de Sacramento Cœnæ sententiam, coram *Landgravio Hassiæ* & *Melanchone*, comprobavit *Bucerus*, qui fassus est ; *Quòd Corpus Christi Verè & Substantialiter à nobis accipiatur, quum Sacramento utimur*; Item, *quòd Panis & Vinum sint Signa exhibitiva*

hibitiva, quibus datis & acceptis simul Christi Corpus detur & exhibeatur. Quibus addidit, *Panem & Corpus uniri, non per Substantiarum mixtionem, sed quatenus id datur cum Sacramento quod Sacramento promittitur, hoc est, quia uno posito aliud ponitur: adeòque, quoniam utrinque in eo consentiatur, quòd Panis & Vinum non mutentur, se Sacramentalem ejusmodi Conjunctionem statuere.* *Lutherus*, his intellectis, suam quoque sententiam declaravit, & affirmavit; *Non ullâ se naturæ copulâ Corpus & Sanguinem Christi unire cum Pane & Vino, & localiter includere; neque Sacramentis propriam tribuere virtutem, quâ salutem ex se afferant ea sumentibus; sed Sacramentalem solùm Unionem inter Corpus & Panem Domini, interque Sanguinem & Vinum statuere; tum etiam docere, Confirmationem Fidei, quam Sacramentis tribuit, niti virtute, non quæ ipsis inhæreat externis rebus per se, verùm quæ sit Christi, & dispensetur ejus Spiritu per verba & symbola.* Denique ad hunc modum allocutus est qui aderant omnes; *Si creditis & docetis, in S. Cœna Verum Corpus & Verum Sanguinem Domini exhiberi, dari & sumi, & non Panem & Vinum tantùm & quòd Perceptio & Exhibitio hæc Verè fiat, &*

non

non imaginariè, inter nos convenit, vosque agnoscimus & recipimus ut Charos nostros Fratres in Domino Quæ omnia in 20. Tomo Operum *Lutheri*, & in scriptis *Buceri Anglicanis* copiosissimè recitantur.

XIV. Subsequatur Confessio *Gallicana*, quæ *Lutetiæ* in Synodo Nationali constituta, *Carolo* IX. Regi in Colloquio *Possiaceno* exhibita fuit. Ea verò de hoc Sacramento hæc habet; g *Quamvis nunc Christus in Cœlis sit, ibidem etiam mansurus donec veniat Mundum Judicaturus; Credimus tamen eum, arcanâ & incomprehensibili Spiritûs sui virtute, nos nutrire & vivificare Corporis & Sanguinis sui substantiâ, per fidem apprehensâ. Dicimus autem, hoc Spiritualiter fieri, non ut veritatis & efficaciæ loco imaginationem, aut cogitationem supponamus, sed potiùs quoniam hoc mysterium nostræ cum Christo coalitionis tam sublime est, ut omnes nostros sensus, totumque adeò ordinem naturæ superet.* Item, *Credimus in S. Cœnâ Deum nobis* Reipsa, *id est, Verè & efficaciter donare quicquid ibi sacramentaliter figurat, ac proinde cum Signis conjungimus Veram possessionem ac fruitionem ejus Rei quæ ibi nobis offertur: Itaque Panem illum & Vinum illud, quæ nobis dantur, Verè nobis* Gallicana Confessio.

g *Art.* 36.

fieri Spirituale alimentum, quatenus videlicet oculis nostris velut spectandum præbent, Carnem Christi nostrum Cibum esse, & ejusdem Sanguinem nobis esse Potum. Itaque Fanaticos omnes illos rejicimus qui hæc Signa & Symbola repudiant, quum Christus Dominus noster pronuntiârit, Hoc est Corpus meum, & Hoc Poculum est Sanguis meus. Huic autem Confessioni subscripsit Ecclesia *Genevensis.*

Legatorum Eccl. Gal. Confessio *Anno* 1557.

XV. Legati *Wormatiam* missi ab Ecclesiis Reformatis *Gallicis* non absimilem de hoc mysterio Confessionem sequentibus verbis exhibuerunt. *Fatemur* (inquiunt) *in Cœnâ Domini non omnia modo Christi beneficia, sed ipsam etiam Filii hominis Substantiam, ipsamque veram Carnem, & verum illum Sanguinem quem pro nobis fudit, non significari duntaxat, aut Symbolicè, Typicè, vel Figuratè, tanquam absentis memoriam proponi; sed Verè ac Certè repræsentari, exhiberi, & applicanda offerri, adjunctis Symbolis minimè nudis, sed quæ, quod ad Deum ipsum attinet promittentem & offerentem, semper Rem ipsam Verè ac certè conjunctam habeant, sive fidelibus, sive infidelibus (id est, malis Christianis) proponantur.*

Belgica Confessio *Ann.* 1559.

XVI. Illi verò Confessioni subjungatur *Belgica*; quæ h *Certissimum esse* profitetur

fitetur, *Christum in nobis* Revera *perficere quæcunque ipse his sacris Signis nobis repræsentat, quamvis Modus ipse ingenii nostri captum superet, nec percipi à quoquam possit, quum Spiritûs Sancti operationes occultæ sint & incomprehensibiles.*

XVII. Jam verò *Helvetiorum* antiquissimam *Confessionem* apponam, quæ communi consensu *Basileæ* conscripta ab omnibus *Helvetiis* Ecclesiis Protestantibus recepta & approbata fuit. Dicunt autem, i *Quòd fideles, quum edunt Panem ac bibunt de Poculo Domini, intùs interim, operâ Christi per Spiritum Sanctum, percipiunt etiam Carnem & Sanguinem Domini, & pascuntur his in vitam æternam.* Sed licet hunc Cibum Spiritualem esse affirmârint, posteà tamen concludunt, *se per Spiritualem Cibum minimè intelligere imaginarium, verùm ipsum Domini Corpus pro nobis traditum.* Helvetica Confessio Prior.

i Cap. 21.

XVIII. In *Helvetica Confessione* Posteriori, Anno 1566. conscriptâ & editâ, Vera Corporis Christi Præsentia in Eucharistiæ Sacramento verbis non minùs distertis affirmatur; Scilicet, *Foris offertur â Ministro Panis, & audiuntur voces Domini, Accipite, edite, Hoc est Corpus meum; Accipite & dividite inter vos: Bibite* Helvetica Confessio Posterior.

Bibite ex hoc omnes; Hic est Sanguis meus. Ergo accipiunt Fideles quòd datur à Ministro Domini, ac bibunt de Poculo Domini intùs interim operâ Christi per Spiritum S. percipiunt etiam Carnem & Sanguinem Domini, & pascuntur his in vitam æternam, &c. ut suprà in priori Confessione. Itemque; *Non est absens Ecclesiæ suæ celebranti Cœnam Dominus. Sol absens à nobis in Cœlo, nihilominus efficaciter præsens est nobis; quantò magis Sol Justitiæ Christus, Corpore in Cœlis absens nobis, præsens est nobis, non Corporaliter quidem, sed Spiritualiter, per vivificam operationem, & ut ipse se nobis præsentem futurum exposuit in ultimâ Cœnâ*, Joh. 14. 15, 16. *Unde consequens est, nos non habere Cœnam sine Christo.* Huic autem Confessioni subscripserunt, præter omnes *Helvetiorum* Reformatas Ecclesias, *Hungaricæ*, *Pannonicæ* seu *Transylvanicæ*, *Polonicæ*, *& Lithuanicæ*, quæ nec Augustanorum, nec Fratrum Bohemorum Confessiones sequuntur. Ita ut Reformatorum omnium hâc in parte, perfecta sit harmonia. Subscripsit ei quoque Ecclesia *Scoticana*, ut & *Genevensis.*

Partis Reformatæ in Conventu Thorunensi Confessio.

XIX. Accedat postremò præclara Ecclesiarum Reformatarum Regni *Polonicæ* in

in Conventu *Thorunensi* declaratio; quâ profitentur, quod Eucharistiæ Sacramentum attinet, *se ei sententiæ accedere quæ tum in Augustanâ Confessione, tum etiam in Bohemica & Sendomirienſi ex Scripturis explicata est.* Deinde verò in ſpeciali Declaratione Sententiam exponunt, & dicunt 1, *Hoc Sacramentum constare Rebus Terrenis, Pane, & Vino, & Cœlestibus, Corpore & Sanguine Domini; quæ diverſo quidem modo, utraque tamen veriſſimè, realiſſime, ac præsentiſſimè nobis exhibentur nempe Terrenæ, modo Naturali, Corporali, & Terreno; Cœlestes verò modo Spirituali, Myſtico, & Cœlesti. Hinc etiam* affirmant, *quòd* ſcilicet *Panis & Vinum verè ſint & dicantur ipſum Corpus & Sanguis Christi, non quidem ſubstantialiter, hoc est Corporaliter, ſed ſacramentaliter & Myſticè, ſeu per & propter Unionem Sacramentalem; quæ non conſiſtit in nudâ Significatione, neque tantùm in Obſignatione, ſed etiam in conjunctâ illâ & ſimultaneâ Rei Terrenæ & Cœleſtis, quamvis diverſimodò, exhibitione & Communicatione.* 3. *Eodem ſenſu* dicunt *cum Veteribus, Panem & Vinum in Corpus & Sanguinem mutari; non quidem ipſâ ſubſtantiâ & naturâ, ſed uſu & officio; in quo ſacra hæc Symbola non tam*

id esse dicuntur quòd sensu percipitur, quàm id quod vi Promissionis in iis intuetur & acceptat fides. 4. Negant *se statuere nuda, vacua, inania Signa, sed potiùs id quod significant & obsignant simul verè exhibentia, tanquam certissima Media & efficacia Instrumenta, per quæ Corpus & Sanguis Christi, adeoque, Christus ipse, cum omnibus suis Beneficiis, singulis vescentibus exhibetur & offertur, credentibus verò confertur, donatur, & ab ipsis in cibum Animæ saiutarem & vivificum acceptatur.* 5. Non negant *veram Corporis & Sanguinis Christi in Cœnâ Præsentiam, sed tantùm Corporalem Præsentiæ modum.* Credunt *Christi nobiscum Unionem mysticam, & quidem non imaginariam, sed verissimam, Realissimam, & efficacissimam.* 6. Undè concludunt, *non solam Virtutem, Efficaciam, Operationem, aut Beneficia Christi nobis communicari, sed imprimis ipsam Substantiam Corporis & Sanguinis Christi, ità ut ipse in nobis, & nos in ipso maneamus.*

Calvinus.

XX. Quoniam verò magnum est *Calvini* nomen (qui tam *Augustanæ* quàm *Helveticæ* Confessioni subscripsit) audiamus porrò quid & ipse de hoc Sanctissimo Mysterio credidit & evulgavit; cujus verba, cùm in Institutionibus, tum alibi, talia

lia sunt, & Priscorum Patrum stylo ac mente tam convenientia, ut reformatorum Catholicorum nemo aliis uti desideraret. *Audio* (inquit) * *quid verba Christi sonent; neque enim mortis tantùm ac resurrectionis suæ Beneficium nobis offert Christus, sed Corpus ipsum in quo passus est & resurrexit. Concludo realiter (ut vulgò loquuntur) hoc est, Verè nobis in Cœnâ dari Christi Corpus, ut sit Animis nostris in cibum salutarem.* Item *hoc verbum nec mentiri, nec illudere nobis potest; & nisi quis fallacem vocare Deum volet, inane ab ipso Symbolum proponi, nunquam dicere audeat. Itaque si per fractionem Panis Dominus Corporis sui participationem verè repræsentat, minimè dubium esse debet, quin Verè præstet atque exhibeat. Quod si verum est præberi nobis signum visibile, ad obsignandam invisibilis Rei donationem; accepto Corporis Symbolo non minùs Corpus etiam ipsum nobis dari certò confidamus. Absurditatibus omissis, quicquid ad exprimendam Veram substantialemque Corporis ac Sanguinis Domini communicationem quæ cum Sacris Cœnæ Symbolis fidelibus exhibetur facere potest, libenter recipio; atque ità ut non imaginatione duntaxat, aut mentis intelligentiâ percipere, sed ut* Re ipsâ *frui in alimentum vitæ æternæ intelligantur.*

* *Comment. in* 1. *ad Corinth.*

Institutionis Chr. Rel. l. 4. c. 17.

Rursus,

Tractatu de Cœnd Domini. Rursus, *Itaque fatendum est substantiam interiorem Sacramenti visibilibus signis conjunctam esse: & quemadmodum Panis in manu distribuitur, ità Corpus Christi nobis communicari. Hoc certè, etiamsi nihil aliud esset, nobis abundè satisfacere deberet, quum intelligimus, Christum nobis in Cœnâ veram propriamque Corporis & Sanguinis sui substantiam donare, ut pleno jure ipsum possideamus, & possidendo in omnem bonorum suorum societatem vocemur.* Iterum, *Idem Corpus quod semel Filius Dei Patri in sacrificium obtulit, quotidie nobis in S. Cœnâ offert, ut sit in spirituale alimentum.* In his Veram, *Realem* & Substantialem Corporis Christi Præsentiam & Communicationem tam clarè adserit, quàm à quoquam potest adseri; sed Modum determinare studiosè non affectat. *De Modo* (ait) *Si quis me interroget, fateri non pudebit, sublimiùs esse arcanum, quàm ut, vel meo ingenio comprehendi, vel ut verbis enarrari queat; atque, ut apertiùs dicam, experior magis quàm intelligam. Itaque veritatem Dei, in quâ acquiescere tutò licet, hic sine controversiâ amplector. Pronuntiat ille Carnem suam esse animæ meæ Cibum, Sanguinem esse Potum. Talibus Alimentis Animam illi meam pascendam offero. In*

Instit. l. 4. c. 17. n. 32.

Sacrâ

Sacrâ Cœnâ jubet me sub Symbolis Panis ac Vini Corpus ac Sanguinem suum sumere, manducare, ac bibere: nihil dubito quin & ipse verè porrigat, & ego recipiam. Hæc totidem verbis Calvinus.

XXI. Hæc è probatis Autoribus, ac publicis Ecclesiarum Confessionibus, aliquantò prolixiùs in medium producere voluimus; ut meliùs innotesceret, quantis calumniis Theologi Protestantes ab aliis rerum ignaris, iniquè onerentur, quasi per verba *Spiritualiter* & *Sacramentaliter* Veram, sive, sano sensu, *Realem* Corporis & Sanguinis Domini in S. Eucharistiâ Præsentiam & Communicationem minimè agnoscerent; quum è contrario illam ità disertè profitentur omnes, ut vix disertiùs, quàm quibus ipsi usi sunt verbis adseri potuisset.

CAP.

CAPUT. III.

I. *Quid per* τὸ Christum Spiritualiter Præsentem esse in Eucharistiâ *intelligant* Romanenses. II. *Quid per illud ipsum* Bernardus *intellexerit.* III. *Quid per id intelligant Protestantium Ecclesiæ.* IIII. *Fides præsentiam Christi non facit, sed præsupponit.* V. *Unio Corporis Christi cum Symbolo Panis, Sacramentalis est.*

I. QUUM ex Confessionibus suprà memoratis satis superque constet, Protestantes credere, quòd *Spiritualiter* & *Verè* adsit Christus in Cœnâ, unde fit ut vocem illam *Spiritualiter*, Veterum exemplo, toties in hâc materiâ usurpent; juvat hic subjungere, quid *Romanenses* ipsi de voce illâ sentiant. Eam sic illi exponunt, ut significet * *Christum adesse in Eucharistiâ non ad modum quo suapte naturâ existunt corpora, vel quo Corpus ejus residet in Cœlo, sed ad modum existendi Spirituum, quum sit totus in quâlibet parte Hostiæ: Et, quamvis*

* *Card. Bellar. de Euch. l. 1. c. 2. de explicatione sententiæ Catholicæ (Romanæ) §. Tertiæ Reg. & segq.*

quamvis per ſe nec videatur, nec tangatur, nec moveatur; tamen ratione ſpecierum ſive accidentium, quibus conjunctus eſt, poteſt dici videri, tangi, & moveri; ità ut motis ſpeciebus verè moveatur Corpus Chriſti, quamvis per accidens; quomodo anima noſtra verè mutat locum, quùm Corpus mutat locum: atque ut verè & propriè dicamus Chriſti Corpus in Euchariſtiâ attolli, deponi, deferri, collocari in Altari vel in pyxide, transferri à manu ad os, & ab ore ad ſtomachum, proùt in Concilio Romano ſub Nicholao Papâ ſecundo compulſus eſt Berengarius confiteri, Chriſti Corpus ſenſualiter Sacerdotum manibus tangi, & frangi atque etiam dentibus atteri. Ibid. prima par. Ibid. §. quinta regula. Verùm hæc omnia, atque id genus alia plurima, nec S. Scriptura, nec Antiqui Patres unquam nobis tradiderunt. Atqui etiamſi daretur Spirituum ſeu Animarum talis præſentia, qualem hic vult *Bellarminus*, eam Corpori humano attribuere abſurdum eſſet, cum corporum naturam Deſtruat.

II. Fatetur quidem *Bellarminus* cum *Bernardo, Chriſtum in Sacramento nobis exhiberi, non Carnaliter, ſed Spiritualiter*; qui, utinam ità acquieviſſet, nec ulteriùs quàm ducit *S. Scriptura*, & antiqua *Patrum Doctrina* progreſſus eſſet. S. Bernard Sermo de S. Mart.

Modum enim Præsentiæ & Manducationis Corporis Christi accuratiùs quàm par erat cum *Innocentio* Papâ III. & Synodo *Tridentinâ* explicare laborans, eâdem operâ quicquid anteà rectè dixerat, perperàm evertit, & statim respuit quod priùs optimè adseruerat, suam ipsius sententiam impugnans. *Timet* scilicet *periculum*, *ne* Spiritualiter illud *trahatur ab iis* quos vocat Adversarios, *non tam ad modum significandum quàm ad ipsam naturam Corporis & Sanguinis Domini excludendam*; *propter quod item periculum*, *non videtur* (ait) *valdè usurpandum illud S. Bernardi*, *Corpus Christi non esse Corporaliter in Sacramento*, *nisi continuò addatur explicatio superiùs posita*, quam nos humanæ sive curiositati, sive arrogantiæ, quæ nihil videri vult nescire, acceptam ferimus. Ecquod autem periculum? aut quid tandem timet, quum ipsam Veram naturam Corporis Christi, & Realem ac Substantialem præsentiam nobis in Sacrâ Communione exhiberi omnes Evangelio credentes fateantur, additâ circa modum duntaxat S. *Bernardi* explicatione, quam ipse etiam Cardinalis vi veritatis adactus improbare non ausus est? Cur igitur admittit Modum esse Spiritualem,

Card. Bell. ubi sup. S. Ter. reg.

non

non Carnalem; deinde Carnalem Præsentiam requirit, etiam quoad Modum? Ad nos quod attinet, dicimus apertè & affirmamus omnes cum *Bernardo*, in Eucharistiâ Corpus Christi præsens adesse Spirituali, adeòque Verâ & Reali Præsentiâ; negamus verò pariter omnes cum eodem *Bernardo* & universâ antiquitate Carnalem Corporis Christi in Euchari, stiâ tum præsentiam tum exhibitionem. Rem ipsam igitur lubentes amplectimur, à Modo autem inquirendo humiles & devoti abstinemus.

III. Præsentiam credimus, & conjunctionem Christi cum animâ, atque etiam cum corpore nostro; quam meliùs vocare non possumus quàm Sacramentalem, hoc est, quæ per viam comestionis fiat; ità ut dum Panem sacratum comedimus & Vinum sanctificatum bibimus; simul cum eis ipsum Corpus & Sanguinem Christi edamus & bibamus, non viâ aut modo corporali, sed alio incomprehensibili, & soli Deo noto, quem Spiritualem vocamus; Generalem enim *Modi* explicationem non improbamus, si hîc sistatur cum *Bernardo* & cunctis veteribus, sed eorum temeritatem qui altum se sapere putantes, curiosè & petulanter inquirunt quid sit esse Spiritualiter

præſens, quaſi modum agendi Spiritûs Dei comprehendere ſe poſſe crederent. Nos verò hunc Modum fatemur cum Patribus eſſe ineffabilem, atque imperſcrutabilem, hoc eſt, non ratione inquirendum, aut indagandum, ſed ſolâ fide credendum. Etſi enim videtur incredibile in tantâ locorum diſtantiâ penetrare ad nos Chriſti Carnem, ut nobis ſit in cibum; meminiſſe tamen oportet, quantum ſupra ſenſus noſtros emineat Spiritûs S. virtus, & quàm ſtultum ſit ejus immenſitatem modo noſtro metiri velle. Quod ergo mens noſtra non comprehendit, concipiat fides.

IV. Quæ tamen fides præſentiam iſtam non facit aut præſtat, ſed jam nunc per verbum Chriſti faciam, Veriſſimam & Realem eſſe apprehendit. Et fides quidem, quâ Chriſti Caro dicitur à nobis manducari, non eſt ea ſola, quâ Chriſtus pro peccatis noſtris crucifixus & mortuus creditur (iſta enim fides præſupponitur, & ante Sacramentalem manducationem requiritur) ſed propriè ea eſt, quâ creditur verbo Chriſti dicentis, *Hoc eſt Corpus meum*, id quod S. *Auguſtinus* intellexit, quum ait; *Quid paras dentem & ventrem? crede, & manducâſti.* In hâc enim myſticâ manducati-

S. Aug. ſuper Joh. Tract. 25.

one

one per admirabilem Spiritûs S. virtutem, inviſibiliter Subſtantiæ Corporis & Sanguinis Chriſti communicamus, haud ſecus ac ſi viſibiliter Carnem & Sanguinem ejus ederemus & biberemus.

V. Summa eſt; Corpus & Sanguis Chriſti uniuntur Pani & Vino Sacramentaliter, ità ut credentibus Verè Chriſtus exhibeatur, nullo tamen vel ſenſu, vel ratione hujus ſeculi, ſed fide verbis Evangelii nitente, intuendus. Dicitur autem Chriſti Caro & Sanguis pani & Vino unirj, quia in Euchariſtiæ Celebratione ſimul & ſemel cum pane caro, & cum Vino Sanguis exhibentur & percipiuntur. Nihil nunc reſtat, niſi ut in ejus Myſterii admirationem prorumpamus, cui nec mens planè cogitando, nec lingua explicando par eſſe poteſt.

CAPUT. IV.

I. *De Transmutatione Panis & Vini in Corpus & Sanguinem Domini, quæ Pontificiis* Transubstantiatio *dicitur.* II. *De Omnipotentiâ Dei.* III. *De Accidentibus Panis.* IV. *Sacramentalis Unio Signi & Signati.* V. & VI. Status *Controversiæ tam negativè quam affirmativè declaratur.* VII. *Concilii* Tridentini *definitio. Bulla* Pii. IV. *Papæ, & Forma Juramenti ab eodem Papâ præscripti. Decretale* Innocentii III. Jesuitarum *Dictata.* VIII. *Portentum ingens* Transubstantiatio.

I. APUD Pontificios pro Articulo Fidei habetur, quòd in Eucharistiâ Panis & Vini Substantia annihilatur, inque ejus locum Corpus & Sanguis Christi succedunt, sicut in § 6. & 7. fusiùs videbimus. Reformati verò longè aliter statuunt. Conversionem autem sive Transmutationem Panis in Corpus Christi (Vini in Sanguinem ejus par est ratio)

ratio) nemo Protestantium negat simpliciter. Sciunt enim & admittunt, Panem in Eucharistiâ, vi verborum atque benedictionis Christi, conditione, usu, & officio planè immutatum esse; hoc est, de Communi & Vulgari, Mysticum & Sacramentalem nobis factum esse cibum; per quem non solùm significari, sive per figuram adumbrari, sed & *Re ipsâ* simul exhiberi, atque in animis dignè communicantium ipsum verum Christi Corpus recipi omnes affirmant, firmitérque credunt. Interim ipsum hunc Panem amittere suam substantiam, & transire in substantiam Corporis Christi nequaquam credunt; quum nec Scripturæ sacræ, nec Veteres per multa Sæcula Scripturarum Interpretes, talem unquam Conversionem, aut essentialem Transmutationem nobis tradiderint, quâ ipsa Panis substantia, id est, materia & forma abjiciatur; sed Sacramentalem tantùm & mysteriis refertam, quâ Panis communis ità mutatur in mysticum, ut ad aliud officium, usum, & finem alium destinetur; quæ quidem mutatio tum gratiæ convenit tum potentiæ Divinæ, naturalem rerum essentiam non abolenti, sed conservanti; eâque ad supernaturales effectus utenti.

II. De Omnipotentiâ Dei, an hoc vel illud facere poſſit, non eſt quòd diſputemus; & infinitam ejus Potentiam decempedâ imbecilitatis noſtræ metiri non debemus. Demus illum aliquid poſſe quod non ſit penes nos inveſtigare & in omnibus quæ facit ſit ratio facti voluntas & potentia facientis: Contradictoria tamen ei minimè ſunt attribuenda. At etiamſi Omnipotentia Dei tanta eſſet, ut poſſet in Euchariſtiâ ſubſtantiam Panis & Vini annihilare, & in Corpus & Sanguinem Chriſti eſſentialiter tranſmutare, accidentibus Panis & Vini abſque ſubjecto remanentibus; tamen quòd, Deus id fieri velit, & quòd idem factum ſit in hoc Sanctiſſimo Sacramento, id nobis probari poſtulamus. Neque enim à Poſſe ad Velle valebit argumentum; & Deum velle quod volunt Tranſubſtantiatores nimis audacter ab eis pronunciatum eſt. Dixit olim *Tertullianus* contra *Praxeam*; *Non quia Deus omnia poteſt facere, ideo credendum eſt, illum hoc vel illud feciſſe, ſed an fecerit requirendum.* Non enim agnoſcit Deus ejuſmodi Omnipotentiæ ſuæ laudem, quâ veritatis & conſtantiæ laus ſibi adimatur, & rerum in ipſius verbo teſtatarum natura evertatur? Sublatis enim Pane & Vino, ipſum quoque Sacramentum tollitur. III.

III. Qui formam & materiam Panis penitùs evaneſcere ſtatuunt, iidem accidentia Panis remanere volunt: At ſi, vi verborum Chriſti ſubſtantia Panis mutetur in ſubſtantiam Corporis ejus, quid obſtat quo minùs eâdem vi etiam mutentur accidentia Panis in accidentia ejuſdem Corporis? qui urgent τὸ τοῦτο oſtendere debebant, Chriſtum dixiſſe, *Hoc* eſt Subſtantia Corporis mei abſque ſuis accidentibus. Sed Chriſtus non phantaſticum Corpus aut ſpectrum *Marcioniticum* ſe Diſcipulis dare dixit, at illud ipſum Corpus quod pro nobis traditum nec quantitate, nec reliquis humani corporis accidentibus carens, abſque quibus nec tradi nec crucifigi potuit. Quum Tranſubſtantiatores fateantur Corpus Chriſti quantitatem ſuam in Cœlo retinere, in Sacramento autem negent; aut contradictionem agnoſcant, aut Tranſubſtantiationem ſuam auferant, omnino neceſſe eſt.

IV. Reformatis Eccleſiis non licet eſſe tam curioſis, neque ſupra Scripturam & Antiquitatem ſapere, quæ verbis Chriſti firmiſſimè credentes formam hujus Sacramenti ſtatuunt in unione Signi cum re Signatâ, id eſt, Corporis Chriſti exhibitione, Pane manente Pane, & Sacramentalibus *Vid. p.* 37.

cramentalibus usibus destinato; per quam hæc duo, ex divinâ ordinatione, ità unum fiunt, ut quamvis Unio ista non sit naturalis, aut substantialis, aut hypostatica, aut localis, per unius in altero existentiam; tamen adeò concinna est, & vera, ut in comestione Sacrati Panis Verum Christi Corpus nobis communicetur, ac Signi Signatique nomina passim ultro citróque permutentur, & Pani tribuatur quod est Corporis, & contrà Corpori quod est Panis; sintque simul tempore quæ disjuncta sunt loco. Nam præsentia Corporis Christi in hoc mysterio, non distantiæ, sed absentiæ opponitur; & quidem ista, non illa, usum & fruitionem objecti intercipit.

V. Ex his patet, quòd *Status* istius Controversiæ quæ Reformatos inter & Pontificios hodie agitatur, ad quatuor omnino Capita reduci potest. Primum de Signis, Secundum de Re Signatâ, Tertium de Signorum & Rerum Conjunctione, Quartum de eorundem Participatione. Et quod ad Primum attinet, in hoc nos ab illis discrepamus quòd illi pro Signis tantùm statuunt Accidentia, Nos verò Substantiam Panis & Vini, ut Sacramentorum natura postulat, & docet Scriptura. In Secundo, non id dicimus quod

quod illi, sententiâ nostrâ non bene intellectâ, nobis affingunt. Non enim dicimus, merita tantùm mortis Christi per Sacrata Symbola Sgnificari, sed ipsum Verum Corpus, quod pro nobis crucifixum, ipsumque Verum Sanguinem pro nobis effusum, tum repræsentari, tum offerri, ut mentes nostræ Christo perfruantur, non minùs certò & Verè, quam ipsa corporalia & visibilia Signa videmus, accipimus, edimus, & bibimus. Ad Tertium itaque, quoniam Res significata nobis offertur & exhibetur, tàm verè quàm signa ipsa; eâ ratione signorum cum Corpore & Sanguine Domini Conjunctionem agnoscimus, & mutata esse elementa dicimus in usum alium ab eo quem priùs habuerunt. Negamus verò, quod affirmant Pontificii, evanescere Panis & Vini Substantiam, aut ità mutatam esse in Corpus & Sanguinem Domini ut nihil tandem reliquum sit, præter nuda elementorum Accidentia quæ cum eodem Corre & Sanguine conjungantur. Quinetiam negamus Sacramentum extra usum à Deo institutum rationem habere Sacramenti, in quo Christus reservari aut circumgestari debeat aut possit, quum Communicantibus tantum adsit. Postremò, quod in quarto capite restat explicandum, non

dicimus

dicimus in hâc Sacrâ Cœnâ nos tantùm esse participes fructûs mortis & passionis Christi, sed fundum ipsum cum fructibus, qui ab ipso ad nos redeant, conjungimus; asserentes cum Apostolo,

1 Cor. 10. 16. * *Panem quem frangimus esse κοινωνίαν Corporis Christi, & Poculum Sanguinis ejus Communicationem*; imò in eâdem illâ substantiâ, quam accepit in Utero Virginis, & quam sursum in Cœlos invexit; in hoc tantùm â Pontificiis dissidentes, quod illi Manducationem hanc & Conjunctionem Corporaliter fieri credant, Nos non naturali aliquâ ratione, aut modo corporali, sed tamen tam Verè quàm si naturaliter aut corporaliter Christo conjungeremur. Et quemadmodum qui indignè (hoc est, ore corporeo, non mente fideli) Sacramentum usurpat, Damnationem sibi ipsi edit & bibit; sic etiam qui dignè id facit, Absolutionem & justificationem comedit; quod itidem nihil aliud est quàm dijudicare, atque edere Corpus Domini, quatenus laceratum est, & bibere ejus Sanguinem, quatenus pro mundi vitâ fusus est. Interim quod asserunt Pontificii, Christum dare nobis Corpus & Sanguinem suum ore ac dentibus sumendum & comedendum, ità ut non solùm deglu-

deglutiatur ab impiis verâ fide deſtitutis, ſed etiam à muribus & gliribus; id verò nos ore, corde, & mente penitùs pernegamus.

VI. Itaque (ut hæc omnia in ſummam Rei Controverſæ reducamus) non quæritur, an Corpus Chriſti à Sacramento ſuo, juxta mandatum ejus inſtituto ac uſurpato, abſit; quod Nos Proteſtantes & Reformati nequaquam dicimus aut credimus. Nam quum ibi detur & ſumatur, omnino oportet ut adſit; licèt Sacramento ſuo quaſi contectum ſit, & ibi ut in ſe eſt, conſpici nequeat. Neque quæritur aut controvertitur, An Panis & Vinum ſupernaturali virtute, & Omnipotentiâ Divinâ, à communi Elementorum uſu, in ſublimiorem uſum & dignitatem, tranſmutentur. Fatemur enim in Sacramentis omnino neceſſe eſſe, cœleſtem & ſupernaturalem mutationem intervenire; nec poſſe fieri Sacramentum, niſi per Omnipotentiam Dei; cujus ſolius eſt Sacramenta in Eccleſiâ inſtituere, ipſiſque efficaciam tribuere. Denique non dicimus, Dominum Diſcipulis ſuis dediſſe tantùm Figuram, Symbolum, aut Signum ſui Corporis; neque negamus, Corpus & Sanguinem Chriſti Sacramentaliter uniri cum Pane & Vino

Eucha-

Eucharistico, aut Verè, realiter & substantialiter usurpari in Sacramento; sed, ut omnem evitemus ambiguitatem, negamus, post verborum prolationem & consecrationem Panis, Panem non amplius esse Panem; sed Transubstantiari in Corpus Christi, ità ut de Pane & Vino nihil residuum sit, præterquam prioris Substantiæ accidentia. Proinde tota quæstio est de Symbolorum externorum Transubstantiatione, An scilicet Substantia Panis convertatur in Substantiam Corporis Christi, & Substantia Vini in Substantiam Sanguinis Christi; sive, ut hodie Ecclesiæ *Romanæ* Doctores Transubstantiationem describunt, An Substantia Panis & Vini intereat, inque ejus locum Substantia Corporis & Sanguinis Christi succedat, quorum utrumque Reformati negant.

VII. Ecclesia *Romana* in Festo Corporis Christi canit; *Non est Panis, sed est Deus-homo Liberator meus.* Concilium *Tridentinum* rem ipsam sic definivit; *Quoniam Christus Redemptor noster Corpus suum id quod sub Specie Panis offerebat verè esse dixit; ideo persuasum semper in Ecclesiâ Dei fuit, idque nunc hæc Sancta Synodus declarat, per Consecrationem Panis & Vini Conversionem fieri*

Conc. Trid. Sess. 13. c. 4.

fieri totius Substantiæ Panis in Substantiam Corporis Domini nostri, & totius Substantiæ Vini in Substantiam Sanguinis ejus, quæ conversio convenientèr & propriè à Sanctâ Catholicâ (Romanâ) *Ecclesiâ Transubstantiatio est appellata. Proinde, si quis dixerit in sacrosancto Eucharistiæ Sacramento remanere Substantiam Panis & Vini, unà cum Corpore & Sanguine Domini nostri Jesu Christi, negaveritque mirabilem illam & singularem Conversionem totius Substantiæ Panis in Corpus, & totius Substantiæ Vini in Sanguinem, manentibus duntaxat Speciebus Panis & Vini, quàm quidem Conversionem Catholica* (Romana) *Ecclesia aptissimè Transubstantiationem appellat, Anathema sit.* Ad eundem modum definiens ipse Papa, atque idem Concilium confirmans, Juxta hanc & non aliam formam, professionem & Juramentum fidei fieri districtè præcipiendo mandavit, atque unum è novis Symboli Romani articulis voluit esse hujusmodi, sub tenore & pœnâ sequenti. *Ego N. firmâ fide Credo & profiteor omnia & singula quæ continentur in Symbolo fidei, quo Sancta Romana Ecclesia utitur; videlicet, Credo in unum Deum, &c. Profiteor pariter in Missâ ---- atque in Eucharistiæ Sacramento esse verè, realiter, &*

Ibid. Can. 2.

Bulla Pii Papæ 4. Confirm. Conc. Trid. super formâ Juramenti professionis fidei, unà cum eodem Concilio edita.

& ſubſtantialiter Corpus & Sanguinem, unâ cum Animâ & divinitate Domini noſtri Jeſu Chriſti, fierique converſionem totius ſubſtantiæ Panis in Corpus & totius ſubſtantiæ Vini in Sanguinem; quam converſionem Catholica (Romana) *Eccleſia Tranſubſtantiationem appellat.—Omnia à Sacroſanctâ Tridentinâ Synodo tradita, definita, & declarata indubitanter recipio, ſimulque contraria omnia ab eâdem damnata, rejecta, & anathemizata ego pariter damno, rejicio, & anathematizo. Atque hanc veram Catholicam fidem, extra quam nemo ſalvus eſſe poteſt, quàm in præſenti ſponte profiteor; & veraciter teneo, eandem integram & inviolatam, uſque ad extremum vitæ ſpiritum, conſtantiſſimè retinere ſpondeo, voveo, ac juro: Sic me Deus adjuvet, & hæc Sancta Dei Evangelia.* Iſtud verò mandatum tali epiphonemate & interminatione claudit. *Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ Voluntatis & mandati infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac beatorum* Petri & Pauli *Apoſtolorum ejus, ſe noverit incurſurum. Datum* Romæ, *apud Sanctum* Petrum, *Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quingenteſimo Sexageſimo*

agesimo Quarto, Idibus Novembris, Pontificatus nostri Anno Quinto. Nimirum, hanç suam fidem Romanam recepit Papa *Pius* Quartus, à Papâ *Innocentio* Tertio, qui doctrinam de Transsubstantiatione Panis & Vini in Corpus & Sanguinem Christi primus omnium stabilivit, fideique duodecim articulis addidit, atque ità Decimum Tertium fabricavit, & in Decretalibus suis promulgavit. Sic enim in Decretali Innocentii III. sub annum 1215 *Lateranensi* Congregationi proposito, ac postea à Papâ Gregorio IX, ejusdem Innocentii Nepote, promulgato scriptum legitur: viz. † *Firmiter credimus, & simpliciter confitemur, quòd unus solus est verus Deus*, &c. *quódque Corpus & Sanguis Christi in Sacramento altaris sub speciebus Panis & Vini veraciter continentur, Transubstantiatis Pane in Corpus, & Vino in Sanguinem.* Hisce Paparum definitionibus subjiciamus tantùm trium *Jesuitarum* dicta, quæ ab omnibus quidem, non priscæ, sed recentis *Romanæ* fidei assectis magnâ pertinaciâ recipiuntur. 1. *Alphonsi Salmeronis*; * *Necessariò statuenda est* (inquit) *Transubstantiatio, tum ut excludantur Panis & Vini substantia, quam* Lutherus *& aliqui alii ad-*

† *Decretal. de sum. Trin. & fide Catho. tit. 1. cap. firmiter credimus.*

* *Tom. 9. Tract. 16.*

miſerunt ; tum ut verba Domini, quæ tamen abſque hoc ſunt veriſſima, vera inveniantur ; tum ut infinita Patrum † teſtimonia, de converſione, mutatione, conſecratione, benedictione, transformatione, ſanctificatione (tot enim fere nominibus Tranſubſtantiatio ab illis appellata eſt) firma ſint, & non inania, vel futilia ; tum denique, ut ſolidam Corporis & ſanguinis Chriſti præſentiam tueri poſſimus. Item, * ut David coram Abimelech vultum ſuum mutavit, & tunc accepit panes propoſitionis, qui erant certus Euchariſtiæ typus, ità Chriſtus in Sacramento ſimulat ſe Panem eſſe, quia propriè Panis non eſt, etſi eſſe maximè videatur. 2. Franciſci Toleti Cardinalis ; † Verba Conſecrationis efficacia ſunt inſtrumenta Tranſubſtantiandi Subſtantiam Panis in Chriſti Verum Corpus ; ità ut poſt prolationem, in illâ Hoſtiâ non ſit Panis ulla ſubſtantia, ſed ſola illius Accidentia, quæ dicuntur ſpecies Panis, ſub quibus eſt verum Corpus Chriſti præſens. 3. Denique Roberti Bellarmini itidem Cardinalis ; * Catholica Eccleſia ſemper docuit, per Converſionem ſubſtantiæ Panis & Vini in Corpus & Sanguinem Domini (quæ Converſio poſtmodum Tranſubſtantiatio appellata eſt) fieri, ut Corpus & Sanguis Domini

† De his, quàm parum ad hanc rem pertineant, videbimus infrà.

* To. 16. diſp. 3. in Ep. S. Petri.

† Inſtru. Sacerd. Lib. 2. c. 27.

* Lib. 3. de Euch. c. 11.

Domini verè & realiter in Sacramento Euchariſtiæ præſentia ſint. Verba aliorum, qui, ut Eccleſiæ *Latinæ* ſive *Romanæ*, ejuſque Pontifici abſolutam quidvis definiendi poteſtatem vindicarent, nihilo ſaniora protulerunt, haud operæ pretium erit recitare, niſi cui lubeat * Defenſorem *Bellarmini Gretſerum*, aut eum † qui primus calamum contra *Lutherum* ſtrinxit audire, qui rem omnem tandem ad unicum Pontificis judicium & mandatum revocant.

* *Gretſerus* Def. *Bellarm.* l. 3. c. 9.
† *Silv. Prierius ſub initio dial.*

VIII. Nos nunc quid Deus poſſit conſiderare ſuperſedemus: nam de Dei Voluntate nobis conſtare debet, antequam de ejus Potentiâ ſolliciti ſimus. Hoc tamen dicimus, Tranſubſtantiationem iſtam *Romanam* genus eſſe Portenti, quod omnium ſuperat Miraculorum indolem. Et, quamvis Dominus immensâ ſuâ virtute ſubſtantiam Panis in aliam ſubſtantiam convertere poſſit; nemo tamen, quamdiu ſubſtantiam Panis ſuperſtitem & incolumem ſenſibus percipit, id factum à Chriſto ſibi perſuadebit. Hactenus quidem nihil ſimile factum fuiſſe legimus, vel ſub Veteri vel ſub Novo Dei Teſtamento. Quapropter hoc Dogma, non minùs toti Antiquitati incognitum, quàm ab Universâ S.

Scripturâ alienum, hæret adduc ad ſcopulos incredibilitatis; nec à nobis fidem illud impetrare æquum eſt, quod à nuperis hominibus non ità pridem excogitatum, pro articulo fidei & Religionis Chriſtianæ obtruſum eſſe noſcitur. Nam in Scripturis Sacris adducendis, ad ſtupendam hanc illorum doctrinam ſuffulciendam, omninò fruſtra ſunt; & verum non eſt, quod toties mirâ confidentiâ deprædicant, univerſam ſemper Eccleſiam in eam doctrinam conſenſiſſe, quæ longo tempore fuit Eccleſiæ penitus inaudita, & ante pauca demum Sæcula autoritate Papali ſub nominibus *Lateranæ* & *Tridentinæ* Synodi comprobata. Id quod ſequuturis jam Capitibus demonſtratum imus.

CAPUT

CAPUT V.

Transubstantiationem, *nec secundum Vocem aut Nomen, nec secundum Rem aut Sententiam in S. Scripturis, aut Antiquis Ecclesiæ Doctoribus, haberi, imò cum eisdem pugnare ostenditur; atque adeò de fide non esse.*

I. NOmen *Transubstantiationis* ipsi etiam Transubstantiatores concedunt ante XII. Sæculum fuisse inauditum; tantùm abest, ut, vel in S. Scripturis, vel in Antiquorum Patrum Monumentis inveniri possit. *Stephanus* quidem *Eduensis* Episcopus perhibetur, hanc Vocem semel usurpâsse, & refertur ille à recentioribus quibusdam ad Sæculum X, sed sine testimonio Vetustiorum. Nec dicit ille absolutè & simpliciter, Panem Transubstantiatum esse, sed *quasi* Transubstantiatum; quod * sano sensu admitti potest.

Nomen sive Vox *Transsubstantiationis.*

* *Vide Cap. I. N. VI. Cap. III. N. IV. Cap. IV. N. V. & hoc ipsum Cap. N. V.*

Res sive Sententia ipsa.

II. Imò Rem ipsam sine Nomine, sive Sententiam sine Voce creditam, non posse ex Scripturis probari, ingenuè fassi sunt Scholasticorum doctissimi, *Scotus*, *Durandus*, *Biel*, *Cameracensis*, *Cajetanus*, & alii non pauci; qui tamen illam authoritate Papali post annos mille & ducentos introductam, atque in Ecclesiâ *Romanâ* receptam, aliâs defensitare sategerunt.

In S. Literis non invenitur.

III. a *Non exstare Locum ullum Scripturæ tam expressum, ut sine Ecclesiæ* (Romanæ) *declaratione* (*id est*, *Papæ* Innocentii III. *in Congregatione suâ* Lateranâ) *evidenter cogat Transubstantiationem admittere*, dixit *Scotus*. b *Verbum audiri, sed ex verbo Modum hunc sciri*, negavit *Durandus*. c *Neutiquam inveniri in Canone Bibliorum*, scripsit *Biel*. d *Substantiam Panis manere, rationabilius & facilius esse ad tenendum, imò minoribus incommodis obnoxium, & Sacris Scripturis minùs repugnare*, affirmavit *Occamus*; & post eum Cardinalis *Cameracensis*, qui fatetur itidem, e *Transubstantiationem non posse probari ex Sacris Literis*. Quinetiam Cardinalis *Roffensis*, f *Nullum in Scripturâ verbum positum esse* dixit, *quo probetur in Missâ hanc Substantiæ Transmutationem fieri*. Item

a *Scotus* in 4 Sent. d. 11. q. 3.

b *Durand.* ut supr.

c *Biel* in *Can. Missæ*, Lect. 40.

d *Occamus Centilii* lib. 4. q. 6. & in 4. Sent. d. 11. q. 6.

e Card. *Cameracc* in 4. d. 11. q. 6. art. 1, & 2.

f *Lib. contra Luth. de Capt. Babylon.* c. 1.

Item *Cajetanus* Cardinalis; *Non apparet* (inquit) g *ex Evangelio coactivum aliquod ad intelligendum hæc verba propriè, nempe, HOC EST CORPUS MEUM: imò* h *præſentia illa in Sacramento, quam tenet* Romana *Eccleſia, ex his verbis Chriſti non poteſt demonſtrari, niſi etiam acceſſerit* Romanæ *Eccleſiæ declaratio.* Denique ipſe etiam Cardinalis *Bellarminus* ait; i *Quòd, quamvis Scripturam adduxerit, quæ ipſi ſatis clara ad probandam Tranſubſtantiationem videatur homini non protervo, tamen an ità ſit meritò dubitari poteſt, quum homines doctiſſimi atque acutiſſimi, qualis cum primis* Scotus *fuit, contrarium ſentiant.* Proteſtantes verò nihil aliud poſtulant, quàm ut cum hiſce doctiſſimis & acutiſſimis Viris ſentire ſibi liceat.

g *Cajet.* in *Th.* p. 3. q. 75. art. 1.

h *Ibid.* q. 45. art. 14.

i *De Euch. l.* 3. c. 23. § *Secundò dicit.*

IV. Ipſa ſanè Inſtitutionis verba Panem eſſe, quîcum exhibetur Corpus Domini (eſtque eadem ratio ſi Vinum & Sanguinem attendamus) manifeſtè eis oſtendunt qui veritati cedere quàm contentioni indulgere malunt: Nempe Chriſti verba ſunt (poſtquam Panem accepiſſet, benedixiſſet, fregiſſet) *Hoc eſt Corpus meum*; Verba verò Apoſtoli, quo nemo meliùs mentem Chriſti explicare potuit, *Panis quem frangimus eſt* κοινωνία

Inſtitutionis Verba.

Corporis Christi, id est, exhibitio Corporis Christi, quâ fideles ejusdem Corporis participes fiunt. Panem esse qui porrigebatur, nihil opus erat ulteriùs indicari, id enim accipientium Sensibus patebat; at unà dari Corpus Christi, de eo nemini constare potuisset, nisi ipse indicâsset qui neminem unquam fefellit. Quanquam autem, ex Institutione Divinâ & Explicatione Apostolicâ, unusquisque fidelium Panem benedictum comedens, non magis an Corpus Domini comedat dubitare debet, quàm si Panem in Corpus Domini substantialiter conversum esse sciret; non tamen propterea sequitur, Panem ità conversum esse, ut secundum substantiam suam esse desinat, incipiatque præsens esse nihil aliud quàm ipsissimum naturale Corpus Christi ex Pane factum. Certum enim est non aliâ ratione Panem esse Corpus Christi, quàm quâ Poculum est Novum Testamentum, nec aliam ex illâ, aliam ex istâ Enunciatione posse elici consequentiam. Quocirca cùm Poculum nonnisi Sacramentali Metonymiâ possit esse illud Testamentum, planum fit, nec Panem aliter esse posse Corpus Christi.

V. Quod

V. Quod verò aiunt *Bellarminus* alique*, fieri non poſſe ut verba illa Chriſti ſint vera, niſi per Converſionem, quam Eccleſia *Romana* Tranſubſtantiationem vocat, id tantum à veritate abeſt, ut, ſi admittatur, non ſolùm tollat Potentiam Divinam, quaſi Deus non poſſit facere, ut remanente ſubſtantiâ Panis Corpus Chriſti præſens ſit & verè exhibeatur in hoc Sacramento; ſed etiam evertat veram naturam, tum benedictionis divinæ quæ res conſervat; tum ipſius Sacramenti quod ex duobus conſtat; tum denique Corporis & Sanguinis Domini, quæ ex Pane & Vino à Sacerdotibus formari, non ſine maximâ & ſtupendâ prorſus audaciâ dicuntur. Sed veritas verborum Chriſti ſatis ſibi conſtat, abſque tantarum veritatum diſpendio. Pone Teſtatorem Tabulas vel Codicillos de manu ſuâ in Hæredis manus tradentem, additis hiſce verbis, Accipe domum quam tibi relinquo; nemo quidem exiſtimaturus eſſet, chartaceum illud Inſtrumentum eſſe ipſiſſimam domum ligneam aut ſaxeam, neque tamen quiſquam propterea Teſtatorem obſcurè vel falsò locutum putaret. Ad eundem planè modum Chriſtus Sacra Symbola verbis ſuis & precibus ſanctificata,

* Ubi ſuprà.

ficata, tanquam Sigilla Novi Teſtamenti tabulis appenſa, ſuis Diſcipulis tradidit, quibus illi de Bonis ab ipſo relictis non minùs certi redditi ſunt quam filii de terrenâ Patris hæreditate per Inſtrumentum à Notario confectum, aut manû propriâ exaratum.

Priſcæ Eccleſiæ Doctores.

VI. Sacris Literis addamus Priſcæ Eccleſiæ Judicium. Habemus enim ipſos primos Religionis noſtræ Sanctos & incorruptos Antiſtites, primaque Eccleſiæ Catholicæ Lumina, qui explicatâ ſententiâ ſolam Spiritualem & Myſticam Præſentiam Corporis Chriſti in Euchariſtiâ, magno, communi, & conſtanti conſenſu profeſſi ſunt. De Panis autem & Vini Subſtantiâ penitus abolitâ, ſive de novo iſto & peregrino Tranſubſtantiationis Dogmate, ne quidem vel audiverunt quicquam, vel omnino locuti ſunt; imò Patrum univerſorum doctrina ei perſpicuè & conſtanter adverſatur, quicquid præ ſe ferant Pontificii in contrarium. Sed, ſi lubeat ſingulos audire, eorum ego aliquot illuſtriora loca (quoniam omnia in immenſam nimis catervam excreſcerent) ſtrictim nominabo.

VII. Ordiar

VII. Ordiar ab ipso Sanctissimo Martyre *Justino*, Scriptore Vetustissimo; qui post Apostolica tempora inter primos eorum est, quorum indubitata Scripta ad nos pervenerunt. Quæ autem Doctrina de Mysterio S. Cœnæ, ejus tempore tum *Romæ* tum alibi fuerit, non obscurè ex his verbis intelligitur. *Postquam Præses gratias egit & acclamavit Populus, illi qui à nobis dicuntur Diaconi seu Ministri dant cuique præsentium quod sumant de Pane & Vino; Et hoc Alimentum à nobis vocatur Eucharistia: Non enim ut vulgarem Panem, neque ut vulgare Poculum hæc sumimus.* Ut Panem sumunt, sed non ut communem. Et paulò pòst, *Per hanc Alimoniam Sanguis & Caro nostra per mutationem nutriuntur, eamque* Jesu Christi *Carnem & Sanguinem esse didicimus.* Quare & substantia Panis etiam post Consecrationem manet, & verè corruptibilis Cibus est, quod de Christi Corpore immortali dici non potest: neque enim Caro Christi Carnem nostram alit, nec in eam mutatur, sed Cibus iste qui Sacramentaliter Caro Christi dicitur. Caro autem Christi animas nostras nutrit in Vitam æternam.

Justinus Martyr, *A. D.* 144.

Apolog. 2. ad Antoninum Imp. prope finem.

VIII. Ad

S. Irenæus A.D. 160.

VIII. Ad eundem modum scripsit Sanctus *Irenæus*, Martyr itidem, & ejusdem Sæculi Episcopus. *Panis* (inquit) † *qui est à terrâ percipiens invocationem Dei, jam non communis Panis est, sed Eucharistia, ex duabus rebus constans, Terrenâ & Cœlesti.* Si verò substantia Panis tollatur, tollitur, quod Terrenum est. Iterum, * *Quemadmodum granum tritici decidens in terram, & dissolutum multiplex surgit, & percipiens verbum Dei sit Eucharistia (quod est Corpus & Sanguis Christi); sic & nostra Corpora ex eo nutrita, & reposita in terram ac resoluta, resurgent in suo tempore.* Iterum, † *Per Creaturam nutrimur, Creaturam autem ipse nobis præstat. Eum Calicem, qui est Creatura, suum Sanguinem, & eum Panem, qui est Creatura, suum Corpus confirmavit. Quando ergo Calix & Panis percipiunt verbum Dei, fit Eucharistia Sanguinis & Corporis Christi, ex quibus augetur & consistit Carnis nostræ substantia.* Eam autem nutriri vel augeri vero & naturali Corpore Christi, non sine magnâ impietate ab ipsis Transsubstantiatoribus diceretur. Nihil enim naturaliter Corpus nostrum nutrit, nisi quod per alterationem in Carnem nostram & Sanguinem convertitur, quod de

† *Lib.* 4. *cont. Hær. c.* 34.

* *Lib.* 5. *c.* 12.

† *Ibidem.*

de Corpore Christi incorruptibili affirmare blasphemum est. Interim tamen Symbola, quæ suo modo & sunt & dicuntur Corpus & Sanguis Christi, ità Corporibus Nostris nutrimentum & augmentum suppeditant per res terrenas, ut etiam propter res ipsas cœlestes quæ mediantibus terrenis à fidelibus percipiuntur, corpora nostra idonea reddunt ad beatam Resurrectionem & Immortalitatis gloriam.

IX. *Tertullianus*, qui circa Annum Ducentesimum floruit, cùm adhuc Catholicus ardentissimi Zeli plenus esset, scripsit contra *Marcionem* Hæreticum, qui inter alia nefanda Dogmata docuit, etiam Christum è Virgine Mariâ non ipsam humani Corporis naturam atque substantiam, sed externas duntaxat ejus formas & species assumpsisse; ex quo fonte, Transubstantiatores *Romani* suam de Accidentibus à subjecto abstractis & in aëre pendentibus Doctrinam omnino hausisse videntur. Contra hanc detestandam hæresim disputans *Tertullianus**, atque argumentum petens à Sacramento Eucharistiæ, *Christum* non phantasticum sive imaginarium, sed verum & naturale Corpus habuisse, ad hunc modum probat; Figura Corporis

Tertullianus *A. D.* 200.

* *Contra Marcion. lib.* 4. *c.* 40.

Corpus

Corpus naturale arguit. Spectri enim seu Phantasmatis nulla est figura. *At* (inquit) *Christus acceptum Panem & distributum Discipulis Corpus suum illum fecit dicendo, Hoc est, Corpus meum, id est, figura Corporis mei. Figura verò non fuisset, nisi veritatis fuisset Corpus. Res enim vacua, ut est phantasma, figuram capere non potest.* Hujus Argumenti pars quæque vera est, & necessariam rationis consecutionem continet. Primò enim oportet Panem manere Panem; alioqui retorto argumento dixisset *Marcion*, non esse Panem, sed mera Panis Accidentia, quæ Panis esse videbantur, sicut respondent Transsubstantiatores. Secundò, Corpus Christi exponitur per veri illius Corporis figuram quæ Pani attribuitur. Est enim Panis aptus repræsentare Corpus Domini propter alendi vim, quæ illi terrena inest, huic cœlestis. Tertiò denique veritas Corporis eò probatur, quòd verâ & substantiali figurâ repræsentetur, quum sublatâ (prout Pontificii volunt) Panis substantiâ, ipsa quoque Corporis Christi veritas in Sacramento destruitur.

X. *Origenes*

X. *Origenes Tertulliani* æqualis non dissimilem habet locutionem. *Quòd si Christus* (ait) † *ut obloquuntur isti* (Marcionistæ) *Carne destitutus erat & exsanguis, cujusmodi Carnis, cujus Corporis, & qualis tandem Sanguinis Signa & Imagines Panem & Poculum ministrævit?* Si Signa sunt & Imagines Corporis ac Sanguinis Christi, licèt eum verè Corpus & Sanguinem habuisse probent, tamen quia Signa sunt, non Ipsa sunt, & quia Ipsa non sunt, Transubstantiationis figmento apertissimè contradicitur. Idem in Leviticum Transubstantiationi disertissimè adversatur; * *Agnoscite* (inquit) *quia figuræ sunt, & ideo tanquam Spirituales, non Carnales, examinate & intelligite quæ dicuntur, sin quasi Carnales accipitis lædunt vos, & non alunt. Est enim in Evangelio Litera, quæ occidit eum qui non spiritualiter quæ dicit ea advertit. Si enim secundum Literam sequeris, hoc ipsum quod dictum est, Nisi manducaveritis Carnem meam, & biberitis Sanguinem meum, occidet hæc Litera.* Quatenus ergo ad Corporis & Sanguinis Christi manducationem hæc verba referuntur, Mysticè & Spiritualiter intelligenda sunt. Iterum, in S. Matthæum scribens †, verum & immortale

Origenes A. 220.

† *Dial. 3. de Hom. Christo cont. Marcionistas.*

* *Hom. 7. in Levit.*

† *In Cap. 15. S. Math.*

mortale Christi Corpus à Corpore illius Typico & Symbolico disertè secernit: Sacramentum enim ex utroque constat. *Ille Cibus* (inquit) *qui sanctificatur per verbum Dei & preces, juxta id quod habet materiale, in † ventrem abit & in secessum ejicitur.* Et hæc quidem ait de Typico Symbolicoque Corpore. Absit enim ut verum illud & cœleste Christi Corpus in secessum ejici sentiamus; quod tamen fateri necesse est, si id Christi Corpus naturale sit, quod Symbolicum Corpus & Materiale in Eucharistiâ vocat *Origenes*. Nam ista sola Accidentia esse nemo sanus dixerit.

* *Indignè faciunt, qui propter hæc verba* Origenem *inter* Stercoranistas *hæreticos numerant.*

S. Cyprianus *A.* 250.

XI. Sanctus *Cyprianus Carthaginensis* Episcopus, & glorioſissimus Christi Martyr, de Sacramento Dominici Calicis illustrem ad *Cæcilium* conscripsit Epistolam, cujus hæc summa est; * *Ut Calix qui in Commemorationem Christi offertur † mixtus vino offeratur*, contra sententiam *Aquariorum*; *Ubi enim* (inquit) *Vinum non est in Calice Sanguis Christi non potest exprimi, quia videmus in Vino Sanguinem Christi ostendi, sicut in Aquâ Populus fidelium intelligitur.* At Transubstantiatoribus Pontificiis neque Aqua neque Vinum est in Calice oblato;

* *Lib.* 2. *Ep.* 3. *sive Ep.* 63. *in Edit. Pamel.*

† *Populo scilicet.*

oblato; abſque quibus (Vino præſertim quod erat Elementum à Domino noſtro inſtitutum, & de quo *Cyprianus* præcipuè loquitur) ne Sacramentaliter quidem præſens eſt Chriſti Sanguis; tantum abeſt ut de Corporali illius præſentiâ, Vino penitus amoto, & ad nihilum redacto (hoc eſt, ad accidens ſine ſubjecto) quicquam omnino crediderit priſca Chriſti Eccleſia, quæ non magìs Vinum in Sanguinem, quàm Aquam in Populum tranſubſtantiari dixiſſet. Sed non eſt quòd multa ex hoc Patre adducam teſtimonia, quum omnia ejus ſcripta pleniſſimè oſtendant in Euchariſtiâ, veram Panis & Vini ſubſtantiam exhiberi, ut ſimilitudo Alimenti Vivifici, quod à fidelibus ex Corpore & Sanguine Chriſti percipitur, atque adunatio totius populi in unum Corpus congregati, rectè ſuo reſpondeat Sacramento.

XII. Nota ſunt illa *Niceni* Concilii verba, quibus fideles à viſibilibus illis & naturalibus Panis & Vini Elementis apertè revocantur ad internum & ſpiritualem Mentis aſpectum quo Chriſtus apprehenditur; *Ne* (inquiunt) †*propoſito Pani & Poculo humiliter intenti ſimus, ſed ſublatâ in altum mente per*

Concil. Nicen. 1. A. 325.

† *In Actis ibid. à Gelaſ. Cyciz. conſcriptis.*

fidem conſideremus, proponi in Sacrâ illâ Mensâ Agnum Dei tollentem Peccata Mundi,—— & pretioſum ejus Corpus ac Sanguinem verè accipientes, nos credamus hæc eſſe noſtræ Reſurrectionis Symbola: Nam ideo etiam non multùm ſed parùm accipimus, ut agnoſcamus, quòd non ad ſatietatem, ſed ad ſanctificationem accipiatur. Quis verò hoc, *non multùm ſed parum*, etiam inter ipſos Tranſubſtantiatores, de Corpore Chriſti dictum eſſe intelligat? aut quis credat Corpus & Sanguinem ejus à Patribus *Nicenis* propriè vocata eſſe Symbola? quum nulla res ſui ipſius Symbolum aut Signum eſſe poſſit. Quamvis igitur in Symbolis propoſitis ſiſtendum non ſit (oportet enim attendere ad id quod in Sacramento præcipuum eſt, ut *Surſum Corda* habeamus ad Dominum, qui cum eiſdem Symbolis ſimul exhibetur) Symbola tamen ſunt, & terrena pars Sacramenti tam Panis quàm Poculum; quod Tranſubſtantiationem jugulat.

S. Athanaſius A. 330.

XIII. Sanctus *Athanaſius*, qui *Niceni* Concilii tempore floruit, eidemque interfuit, Vir ſi quis alius Catholicæ fidei per omnia tenaciſſimus, non aliam in Euchariſtiâ Corporis Chriſti manducationem agnovit quàm ſpiritualem.

Dominus

Dominus (inquit) * *Spiritum à Carne diſcriminavit, ut diſceremus ea quæ loqueretur non Carnalia eſſe, ſed Spiritualia. Quot enim hominibus Corpus ejus ſufficiſſet ad Cibum, ut Univerſi Mundi Alimonia fieret? Sed propterea Aſcenſionis ſuæ in Cœlum mentionem fecit, ut eos à Corporali intellectu abſtraheret, ac deinde Carnem ſuam de quâ locutus erat, Cibum è Supernis Cœleſtem & Spiritualem Alimoniam (καὶ πνευματικὴν τροφὴν) ab ipſo donandum intelligerent; Quæ enim locutus ſum vobis, Spiritus & Vita ſunt, quod perinde eſt ac ſi diceret, Corpus meum quod oſtenditur & datur pro mundo, in Cibum dabitur, ut Spiritualiter (πνευματικῶς) unicuique tribuatur, & fiat ſingulis præſervatio ad Reſurrectionem vitæ æternæ.* Quibus Sanctiſſimi Patris verbis quum nullum idoneum reſponſum regerendum eſſe videret Cardinalis *Perronius*, † totum Tractatum tanquam deſperabundus reſpuit, & negavit eſſe *Athanaſii*; quod ante eum fecit nemo. Nihil eſt enim cur improbetur.

* *In illud Evang. Quicunq; dixerit Verbum*, &c. & *in C. 6. S. Joh. Qui manducat Carnem meam*, &c.

† *De l'Euchar. liv. 2. a. 10. ch. 1.*

XIV. Proximus eſto *Cyrillus Hieroſolymitanus* Epiſcopus, Sancti *Athanaſii* Coætaneus. Agens ille de Chriſmate, quo Baptizati inungebantur, ità ait; * *Ceterum vide ne illud putes Unguen-*

S. Cyrillus Hieroſolymit. A. 350.

* *Catech. myſt. 3.*

tum tantùm. Quemadmodum enim Panis Eucharistiæ, post S. Spiritûs invocationem, non ampliùs est Panis communis, sed est Corpus Christi; sic & Sanctum hoc Unguentum non est ampliùs Unguentum nudum neque commune, postquam consecratum est, sed est Charisma Christi, quod adventu Spiritûs S. per ipsius divinitatem energiam habet; & Corpus quidem Unguento perungitur, Animâ vel Spiritu S. vivificoque sanctificatur. Quid potest luculentius dici? aut Unguentum per Consecrationem transubstantiatur in Spiritum & Charisma Christi, aut Panis & Vinum per Consecrationem non transubstantiantur in Corpus & Sanguinem Christi. Sicut itaque Unguentum manens, quoad substantiam, Unguentum; non tamen vocatur Unguentum tantùm, aut Unguentum Nudum & Commune, sed jam est Charisma Christi: sic Panis & Vinum manens, quoad substantiam Panis & Vinum, non tamen vocatur Panis aut Vinum tantùm, sive Nudus Panis & Vinum Commune, sed jam est Corpus & Sanguis Christi. *Sub Typo* (inquit) † *Panis datur tibi Corpus, & sub Typo Vini datur tibi Sanguis*; Quod captiosè & malâ fide *Grodecius* interpretatur, Sub Specie Panis, &

† *Cstech. Mystag. 4. Aliud* (inquit) *gustat ibi Corporeum palatum, aliud fides.*

& ſub Specie Vini: De Speciebus enim, ſeu Accidentibus ſine ſubjecto exiſtentibus, nihil unquam *Cyrillo*, vel Antiquorum cuiquam, in mentem venit.

XV. Neque verò diſſimilia ſunt quæ in Liturgiâ ſeu Anaphorâ S. *Baſilii* leguntur. † *Propoſuimus* (inquit) *Typum Corporis & Sanguinis Chriſti*; quem, poſt Conſecrationem, Panem Euchariſtiæ appellat*. Si Typus ſit Corporis, certè ipſum Corpus non eſt, ità ut nihil aliud ſit quám Corpus: nam (uti modò diximus) nihil ſui ipſius Typus aut Figura eſſe poteſt, non magis quàm ſui ipſius Pater aut Filius eſſe poteſt. Preces etiam fiunt in eâdem Anaphorâ, *ut Panis fiat Corpus Chriſti in remiſſionem peccatorum, vitamque æternam, iis qui accipiunt.* Et quidem Credentibus ſit Corpus vivificum, quia illi Panis Cœleſtis & Corporis Chriſti verè ſunt participes. Aliis verò tam non recipientibus quàm non credentibus, licèt Antitypon ſit, tamen illis nequaquam eſt, nec ſit Corpus Chriſti. Nemo enim abſque fide † Chriſtum manducat.

S. Baſilius *A.D* 360.

† *Liturg. quæ eidem attribuitur.*

* *Lib. de Sp. Sancto.*

† *Idem Lib. de Bapt. Credentes* (inquit) *& manducacantes.*

S. Gregorius Nyſſenus, *A. D.* 370.

XVI. S. *Gregorius Nyſſenus*, S. *Baſilii* frater, luculenter exprimit, qualis fiat in Pane & Vino per Conſecrationem mutatio. *Sicut Altare* (inquit) * *naturâ eſt Lapis Communis, ſed Dei Cultui conſecratum, fit Menſa Sancta & Altare immaculatum*; *Ac ſicut Panis Euchariſtiæ initio eſt Panis Communis, ſed ubi eum myſterium ſacrificaverit, Corpus Chriſti & dicitur, & eſt, & excellenter operatur*; *Sicut etiam Sacerdos (heri homo vulgaris) novitate benedictionis fit Doctor pietatis, myſteriorum Præſul, & nihil Corpore vel formâ mutatus, inviſibili quâdam vi ac gratiâ, animam in melius transformatam gerit*; *ità ſimili conſequentiâ rationum, etiam Aqua, cùm nihil aliud ſit quàm Aqua, ſupernâ benedicente gratiâ, in eam quæ mente percipitur regenerationem, hominem renovat.* Eant nunc Transſubſtantiatores, & dicant, vel Lapidem in Altare, Hominem in Sacerdotem, Aquam in Baptiſmum tranſubſtantiari, vel Panem in Corpus Chriſti non tranſubſtantiari. Nam *Nyſſeno* ſimilis eſt per omnia conſequentiæ ratio.

* *Orat. de S. Baptiſmo.*

XVII. Ad eundem modum S. *Ambroſius*, explicans Mutationem Panis, qualis illa ſit, per quam in Euchariſtiâ fit Corpus Chriſti; *Tu ipſe* (inquit) † *eras, ſed eras vetus Creatura, poſtquam conſecratus es, Nova Creatura eſſe cœpiſti.* Qualis in Baptiſmo hominis, talis in Euchariſtiâ Panis mutatio. Si non tranſubſtantietur Natura hominis per Regenerationem, nec tranſubſtantiatur Panis per Benedictionem. Fit homo per Baptiſmum, non quod Natura formavit, ſed quod Gratia reformavit. *Fit Panis per Conſecrationem,* * *non quod Natura formavit, ſed quod Benedictio conſecravit.* Natura enim non niſi hominem nudum, Panem nonniſi Panem communem formavit; Regeneratio verò ex homine Nudo facit hominem Sanctum, in quo Chriſtus ſpiritualiter habitat; Benedictio itidem ex Pane Communi facit Panem Myſticum ſive Sacramentalem. Interim mutatio hæc Naturam non deſtruit, ſed Gratiam Naturæ adjicit. Quod clariùs adhuc ab ipſo Sanctiſſimo Patre exprimitur, loco ſuperiùs adducto. *Tu fortè dices* (ait) * *Panis meus uſitatus eſt; ſed Panis iſte Panis eſt ante Verba* (*benedictionis*) *Sacramentorum: ubi acceſſerit Conſecratio, de Pane*

S. Ambroſius, *A. D.* 380.

† *Lib.* 4. *de Sacr. c.* 4.

* *Idem de Initt. Myſt. c.* 9.

* *De Sacram. l.* 4. *c.* 4.

fit Corpus Christi. Hoc igitur adstruamus, quomodo qui Panis est potest esse Corpus Christi? Consecratione. Consecratio autem fit Verbis Domini, ut venerabile Sacramentum conficiatur. Vides quàm operatorius sit Sermo Christi. Si ergo tanta vis est in Sermone Domini, ut inciperent esse (Panis & Vinum) quæ non erant, quantò magis operatorius est, ut sint quæ erant, & in aliud commutentur? Ergo, ut tibi respondeam, non erat Corpus Christi ante Consecrationem, sed post Consecrationem jam est Corpus Christi. Ipse dixit, & factum est; Tu ipse eras, sed eras vetus Creatura; postquam consecratus es, nova Creatura esse cœpisti. His verbis docet *Ambrosius*, quomodo Panem esse Corpus Christi intelligendum sit; Nempe, ut hâc mutationis ratione Panis & Vinum non desinant esse per substantiam quod sunt; (tunc enim non essent quod erant;) & tamen in Eucharistiâ per Benedictionem fiant, quæ antè non fuerunt. Sic enim sunt & manere dicuntur quæ erant per naturam, ut tamen in aliud commutentur per Gratiam, hoc est, ut sint certa, & indubitata Symbola Corporis & Sanguinis Christi, adeoque etiam vera Justitiæ & Redemptionis nostræ pignora. Ecquid magis disertè

& perspicuè contra Transubstantiationis Somnium dici potest?

XVIII. Sanctus etiam *Chrysostomus*, magnus Ecclesiæ Doctor, Carnalem hanc Transubstantiationem, & manducationem Corporis Christi absque manducatione Panis, apertissimè repudiat, atque refellit. *Mysteria* (inquit) * *non sunt Carnaliter, sed interioribus oculis, hoc est, Spiritualiter considerandæ & contemplandæ: Hujusmodi enim est Mysteriorum natura.* Ubi observanda est Antithesis inter *Carnaliter* & *Spiritualiter*, quæ nullum cavillandi locum relinquit. Rursùs, † *Sicut in Baptismo, sensibili Aquæ Elemento intelligibile donum Regenerationis confertur; ità etiam intelligibile hoc Corporis & Sanguinis Christi donum, non corporeâ aut sensibili aliquâ actione, sed spirituali fidei intelligentiâ, animo atque mente percipitur.* Quod nihil est aliud, quàm res Spirituales prædicari de rebus Sensibilibus, quibus & significantur, & obsignantur. Magìs autem apertè loquitur in Epistolâ ad *Cæsarium*; ubi non Substantialem, sed Sacramentalem Panis Mutationem in hoc Mysterio esse docet, secundum quam externa Elementa ipsarum rerum significatarum nomine vocentur, & ità mutentur,

S. Chrysostomus *A. D.* 390.

* *Homil.* 45. *in S.* Joh. *al.* 46.

† *Ibidem.*

tentur, ut priſtinæ tamen ſubſtantiæ ſuæ naturam retineant. *Caro Chriſti* (inquit) * *cujus appellatione Panis per Sanctificationem Sacerdotis dignus factus eſt, ſed incorruptæ naturæ ſuæ proprietatem retinet & conſervat, ſicut ipſa Natura & Subſtantia Panis remanet. Antequam ſanctificetur Panis, Panem nominamus; Divinâ autem illum conſecrante Gratiâ, Dominicum Corpus appellari meruit, etſi natura Panis permaneat.* Hoc perſpicuum magni Patris teſtimonium, quum Cardinalis *Bellarminus* refellere non poſſet, ſatis eſſe putavit, ſi Epiſtolam illam *Chryſoſtomi* eſſe negaret†. Sed negatur tam ille, quàm *Poſſevinus**, cùm dicunt eam inter Opera *Chryſoſtomi* non extare. Præterquam enim quòd tum *Florentiæ* * tum alibi exſtabat, citatur in Collectaneis contra *Severianos*, quæ ex *Fr. Turriani Jeſuitæ* verſione habentur in 4. Tomo Antiq. Lectionum *Henrici Caniſii*; & in fine Libri *Jo. Damaſceni* contra *Acephalos*. Subjicio luculentum Teſtimonium ex Opere imperfecto in S. *Matthæum*; Libro, quem vel *Chryſoſtomus*, vel alius antiquus Author, verè quidem hâc in parte Catholicus, ab *Arrianis* minimè depravatus, conſcripſit. † *In his* (inquit) *Vaſis ſanctificatis*

* *Idem in Epiſt. ad Cæſarium contra Hæreſ. Apollinaris.*

† *Lib. 2. de Euch. cap. 22.*

* *In Apparatu* Chryſoſt.

*Steph. Gard. *Ep. Wint. contra Pet. Mart. l. 2. de Euch.*

† *S. Chryſoſt. in Op. imperf. in S. Matth. hom. 11.*

non

non est VERUM CORPUS CHRISTI, *sed* MYSTERIUM *Corporis ejus continetur.*

XIX. Quod etiam plus millies ab *Augustino* dictum: Sed ex tot aliis, quæ ad hanc rem faciunt, locis pene innumeris, Tria tantùm recitabo, quæ summatim omnia reliqua comprehendunt. S. Augustinus, *A. D.* 400.

* *Non hoc Corpus quod videtis manducaturi estis, nec bibituri illum Sanguinem quem fusuri sunt qui me crucifigent; Sacramentum aliquod vobis commendavi, Spiritualiter intellectum vivificabit vos.* Hæc S. *Augustinus* verba Christi enarrans. * *In Psal.* 98.

2. † *Si Sacramenta quandam similitudinem earum rerum quarum Sacramenta sunt non haberent, omnino Sacramenta non essent. Ex hac similitudine plerumque etiam ipsarum Rerum nomina accipiunt. Sicut ergo secundum quendam modum Sacramentum Corporis Christi Corpus Christi est; ità & Sacramentum fidei, fides est.* † *Epist.* 23. *ad Bonifac.*

3. Eódem pertinet quod contra *Maximinum Arrianum* scribit. * *In Sacramentis non quid sint, sed quid ostendant, attenditur; quoniam Signa sunt rerum, aliud existentia, & aliud significantia.* * *Contra* Max. *Lib.* 3. *cap.* 22.

Et alibi †, de Pane & Vino loquens; *Ne quis attendat* (inquit) *in eis quod sunt, sed potiùs quòd Signa sunt; Nam* † *De Doctr. Christ. cap.* 7.

&

& Dominus non dubitavit dicere, Hoc eſt Corpus meum, quum Signum Corporis daret. Manifeſtior ſanè eſt hæc S. *Auguſtini* ſententia, quàm ut vel negari, vel eludi poſſit. Si enim Sacramenta aliud exiſtant, & aliud ſignificent, in id quidem quod ſignificant, non ſic permutantur, ut permutata non ampliùs exiſtant. Permutatur Aqua in Baptiſmo, ſicut & Panis ac Vinum in Euchariſtiâ. Sed quicquid permutatur non ſtatim tranſubſtantiatur, aut priſtinam ſuam exiſtentiam perdit. Ut enim integra ſubſtantia Aquæ manet in Baptiſmo, ſic integra ſubſtantia Panis & Vini manet in Euchariſtiâ.

S. Proſper, *A.D.* 430.

XX. Sanctus *Proſper* haud longo intervallo *Auguſtinum* ſecutus, & Scriptor per omnia Catholicus, docuit, † *Euchariſtiam duobus conſtare, viſibili Elementorum ſpecie, & inviſibili Chriſti Domini noſtri Carne & Sanguine (hoc eſt, Sacramento, & Re Sacramenti) ſicut perſona Chriſti conſtat ex Deo & Homine.* Quis verò, præter *Eutychium* infamem Hæreticum, Chriſtum Deum in Hominem, aut Hominem Chriſtum in Deum tranſubſtantiatum eſſe dixerit?

† *Sent.* Proſp. *diſt.* 2. *de Conſ. Cap. Hoc eſt.*

XXI. Nihil

XXI. Nihil hîc clarius B. *Theodoreti* Teſtimonio, ex quo intelligimus quænam Veteris Eccleſiæ hâc de re fuerit ſententia. *Servator quidem noſter* (inquit)* *in inſtitutione Euchariſtiæ nomina rerum commutavit, & Corpori, id quod erat Symboli nomen impoſuit, Symbolo verò id, quod erat Corporis.* Hoc autem eum propterea feciſſe dicit, † *ut qui divinorum myſteriorum participes fiant, non attendant naturam eorum quæ videntur, ſed per nominum permutationem ei credant mutationi, quæ ex gratiâ facta eſt. Qui enim quod naturâ Corpus eſt, Triticum & Panem appellavit; is Symbola & Signa quæ vocantur, appellatione Corporis & Sanguinis ſui honoravit, non naturam quidem mutans, ſed naturæ gratiam adjiciens.* Talem igitur docet Symbolorum in Euchariſtiâ fieri mutationem, ut interim eorum vel natura, vel ſubſtantia permaneat. Quod poſtea clariùs adhuc explicat. Cùm enim *Eraniſta, Eutychii* partes propugnans, dixiſſet; * *Quemadmodum Symbola Dominici Corporis & Sanguinis, alia quidem ſunt ante invocationem Sacerdotis, ſed poſt eam mutantur, & alia fiunt; ità etiam Corpus Domini poſt aſſumptionem mutatur in Divinam Subſtantiam & Naturam,*

B. Theodoretus.

* *Dialog.* 1.

† *Ibidem.*

* *Dial.* 2.

turam (ex Hypotheſi verò Tranſubſtantiationis argumentum hoc Eutychianum eſt planè indiſſolubile) Reſpondet ei Orthodoxa Antiquitas; *Implicatus es eiſdem retibus quæ texuiſti; neque enim Symbola, ſive Signa myſtica, poſt ſanctificationem recedunt à naturâ ſuâ, ſed manent in priori ſuâ ſubſtantiâ, formâ, & ſpecie, & videri & tangi poſſunt, ſicut & priùs: intelliguntur autem ea etiam quæ facta ſunt.* ——— *Confer ergo Imaginem cum Exemplari, & videbis ſimilitudinem. Oportet enim figuram eſſe Veritati ſimilem. Corpus illud habet priorem quidem formam & circumſcriptionem, & ut ſemel dicam, Corporis ſubſtantiam. Immortale autem poſt Reſurrectionem factum eſt*, &c. Hæc omnia, & multò plura, in eandem ſententiam *Theodoretus*, qui *Epheſino* & *Chalcedonenſi* Conciliis Oecumenicis interfuit. Ineptè nimis hîc excipere ſolent nonnulli *Romanenſes*, quaſi per naturam & ſubſtantiam Symbolorum, quæ dicuntur remanere, & non mutari, *Theodoretus* intellexiſſet naturam, & (ut Cardinali *Bellarmino* abſurdè prorſus loqui placuit †) ſubſtantiam Accidentium. Atqui totus contextus hoc gloſſema fortiſſimè refellit. Conjungit enim *Theodoretus*

† *Lib. 2. de Euch. cap. 27.*

retus Naturam, Substantiam, Formam, & Figuram. Et quà tandem ratione potuisset everti argumentum *Eutychianum*, si tantùm Accidentia Panis, sublatâ substantiâ, post Consecrationem manere concessisset? An verò de Accidentibus Panis & Vini dixit Christus, Hæc Accidentia sunt, at Hoc Accidens est Corpus meum? Sed Transubstantiatoribus licet (nobis non equidem) Creaturam in Creatorem, Substantias in Accidentia, Accidentia in Substantias, quodlibet in quidlibet permutare. Parùm porrò modestiæ & charitatis Christianæ illis inesse videtur, qui tanti nominis & meriti Patris, quanti erat B. *Theodoretus*, authoritatem enervare conantur†, ex eo quòd de quibusdam Erroribus in Concilio *Ephesino* notatus fuit, tametsi postea resipuerit, ut & ipsimet fateri coguntur; scilicet ut hâc rimâ elabantur, dum negare non possunt *Theodoretum* asseruisse, Elementa in priore substantiâ manere, quod tamen scripsit in Dialogis illis, quos contra *Eutychianos* Hæreticos, magnâ cum laude, & Ecclesiæ Catholicæ approbatione, composuit. Atque equidem hæc aperta veritas quosdam etiam ex ipsis Adversariis perpulit, ut *Theodoreti* Testimonium

† *Greg. de Valentia, lib. 2. de Transubst. c. 7. aliique.*

nium robis largirentur. Nam in Epistolâ *Theodoreti* Dialogis præfixâ, editionis *Romanæ* per *Stephanum Nicolinum* Chalcographum Apostolicum, Anno 1547 adornatæ, planissime scribitur, † Theodoretum *in his locis de Transubstantiatione minùs commodè sentire; excusandum tamen, quoniam de eâ Ecclesiâ* (Romana) *nondum legem tulisset.*

† *Præfat. in Diatog.* Theodoreti.

S. Gelasius, *A.D.* 470, *aut* 490 *plus minus.*

XXII. *Theodoreto* conjungimus *Gelasium*; quem (sive is erat Episcopus *Romanus*, sive alius quispiam) Cardinalis *Bellarminus* fatetur, ejusdem cum illo & ævi & sententiæ fuisse; Testem sanè antiquum satis & incorruptum. Scripsit ille contra *Eutychen*, & *Nestorium*, de duabus in Christo naturis, ad hunc modum. * *Certè Sacramenta, quæ sumimus, Corporis & Sanguinis Christi, Divinæ res sunt, per quas Divinæ efficimur consortes naturæ; & tamen esse non desinit Substantia, vel Natura Panis & Vini: & quidem imago ac similitudo Corporis & Sanguinis Christi in actione Mysteriorum celebratur. Satis ergo per hoc nobis evidenter ostenditur, hoc nobis in Christo Domino sentiendum, quod in Imagine profitemur; ut sicut hæc in Divinam transeunt, Spiritû S. perficiente, Substantiam, & permanent tamen in suæ naturæ*

* *De duabus in Christo Naturis, in Bibl. Patrum. Tom.* 4.

naturæ proprietate ; sic illud principale (Incarnationis) Mysterium ; cujus hæc nobis efficientiam & virtutem veraciter repræsentant, iis naturis, ex quibus constat, propriè permanentibus, unum Christum integrum, verumque permanere demonstrat. E quibus verbis liquidò constat, substantialem non esse, quæ in Sacramento sit, Transmutationem. Primò enim ità transeunt Sanctificata Elementa in Substantiam Corporis & Sanguinis Christi, ut tamen non desinat esse Substantia vel Natura Panis & Vini. Secundò, ità permanent Panis & Vinum in suæ Naturæ proprietate, sicut permanent duæ naturæ in Christo, ex quibus constat. Postremò, ideo transire dicuntur in Divinam Substantiam, quòd dum ea percipimus, Communicato nobis & Corpore & Sanguine Christi, Divinæ Naturæ Consortes efficiamur. Quæ cùm ità sint, deploranda quidem est illorum Cæcitas, qui non vident, eundem ab eis in Ecclesiam *Romanam* revocatum esse Transubstantiationis Errorem, quem in *Eutychianis* damnavit pia & erudita Vetustas. Quòd autem suam hîc cramben reponunt, & † *per Substantiam Panis, non ipsam veram Substantiam, sed naturam & essentiam Accidentium tantùm*

† Bellarm. *l. cit.* Baron. *ad An.* 496. *Notæ marginal. ad verba* Gelasii *in* BB. *Patrum.*

tùm intelligi volunt, mirum effugium eſt & miſerum. Laudanda magis Cardinalis *Contareni* ingenuitas, qui veritate victus, ad tam perſpicuum *Gelaſii* Patris teſtimonium obmutuit [a].

a *In Colloq.* Ratisb. *A.* 1541.

S Cyrillus Alexandrinus, & Concilium Chalcedonenſe, *circa An.* 450.

XXIII. Adjicio etiam *Cyrillum Alexandrinum*, qui *Corpus & Sanguinem Chriſti in Sacramento ſolâ, & purâ fide accipi* dixit, in illâ contra *Neſtorianos* Epiſtolâ [b], quam Sexcenti Patres in Concilio *Chalcedonenſi* ſuo conſenſu & approbatione confirmârunt [c]. Reliquos verò hujus ævi Patres prætermitto, quorum tamen ſcripta quamplurima non minùs cum Tranſubſtantiatione, & Accidentibus ſine Subjecto in aëre pendentibus pugnant, quàm quæ hactenus è Superioribus recitavi.

b *Inter Epiſtolas* Cyrilli *in Conc.* Eph.

c *Art.* 5. *in Concil.* Chalced.

Ephremus Patriarcha Antiochenus, *A. D.* 540.

XXIV. Accedo ad Sæculum Sextum. Scripſit ante illius medium *Ephremus* Patriarcha *Antiochenus*, Librum à *Photio* lectum & laudatum, de Legibus & Ceremoniis Sacris adversùs *Eutychianos*: [d] in quo, quum probare velit per hypoſtaticam unionem, nullam in Chriſto Naturarum Confuſionem fuiſſe factam, ſed utramque ſuam ſubſtantiam & proprietatem retinuiſſe, ſimilitudine utitur Unionis Sacramentalis, & negat in Sacramento, Mutationem unius Subſtantiæ

d Photius *in Bibliothecæ n.* 229.

ſtantiæ in aliam fieri. *Nemo* (inquit) e *qui mentem habet, poterit dicere, eandem eſſe naturam tractabilis & intractabilis, ſub aſpectu cadentis & inviſibilis. Nam ſic etiam Corpus Chriſti, quod à fidelibus accipitur, & à ſenſibili ſuâ ſubſtantiâ non recedit & manet inſeparatum à gratiâ intelligibili; & Baptiſmus, etiamſi factus ſit totus Spiritualis, tamen proprietatem ſenſibilis ſuæ Subſtantiæ (hoc eſt, Aquæ) conſervat, & id quod factum eſt non amittit.*

e *Ibidem.*

XXV. Edita ſunt non ità pridem *Pariſiis*, Opera *Facundi* Epiſcopi *Africani*, cujus ætas in hoc etiam Sæculum incidit. Quæ verò illius atque Veteris Eccleſiæ contra Tranſubſtantiatores Sententia & Doctrina fuerit, evidentiſſimè verbis, quæ ſubjicio, apparet. *Poteſt* (inquit) f *Sacramentum Adoptionis Adoptio nuncupari, ſicut Sacramentum Corporis & Sanguinis Chriſti, quod eſt in Pane & Poculo conſecrato, Corpus ejus & Sanguinem dicimus; non quòd propriè Corpus ejus ſit Panis, & Poculum Sanguis; ſed quòd in ſe Myſterium Corporis ejus Sanguiniſque contineant. Hinc & ipſe Dominus benedictum Panem & Calicem quem Diſcipulis tradidit, Corpus & Sanguinem ſuum vocavit.* Scripſit

Facundus Epiſcopus, A. D. 550.

f *Lib. 9. cap. 3.*

Jesuita *Sirmondus* in *Facundum* Notas; sed quum ad hunc locum pervenit, nihil aliud habuit quod diceret, nisi Panem non esse Panem, sed Speciem tantùm & apparentiam Panis: quam sanè *Facundo* adfingere Sententiam, nec ingenui, nec eruditi hominis erat, qualem tamen *Sirmondus* se haberi voluit. Neque enim vel unicum ex omni Vetustate Patrem monstrare potuit, qui ullam mentionem fecerit de Accidentibus per se (quæ *Sirmondo Jesuitæ* species Panis sunt) sine omni subjecto subsistentibus. Quòd autem *durius hic aliquid vel obscuriùs elocutum esse* Facundum *fortè cuiquam videri posse* existimabat; id quàm immeritò, & non sine magnâ tanti Patris injuriâ, dixerit, facilè quivis intelligat.

Isidorus Hisp. *A.D.*630.

XXVI. Sub initium Sæculi Septimi floruit *Isidorus* Episcopus *Hispalensis*, cujus hæc erat de Sacramento Eucharistiæ loquendi formula. g *Panis, quia confirmat Corpus nostrum, ideo Corpus Christi nuncupatur; Vinum autem, quia Sanguinem operatur in Carne, ideo ad Sanguinem Christi refertur. Hæc autem duo sunt visibilia; sanctificata tamen per Spiritum S. in Sacramentum Divini Corporis transeunt. Panis enim quem frangimus*

g *Lib.* 1. *de Off. Eccles.* 18.

gimus Corpus Chriſti eſt, qui dicit, Ego ſum Panis vivus. Vinum autem Sanguis ejus eſt; & hoc eſt quod ſcriptum eſt, Ego ſum Vitis vera. Ecce tranſeunt, inquit, in Sacramentum, non tranſeunt in Subſtantiam Divini Corporis. Panis enim & Vinum quæ nutriunt Carnem noſtram, nec ſubſtantialiter eſſe, nec dici poſſunt Corpus & Sanguis Chriſti; Sacramentaliter verò non minùs verè ſunt quàm ſic dicuntur. Iſtud verò clariùs adhuc explicatur, Lib. 6. Etymolog. Cap. 19. *Sicut enim Subſtantia Panis & Vini viſibilis nutrit hominem exteriorem; ità Verbum Chriſti, qui eſt Panis vivus, per participationem fidei, recreat animas fidelium.* Quæ verba è Libris *Iſidori* hodie impreſſis expuncta, conſervavit nobis *Bertramus* Presbyter.

XXVII. Atque hæc eadem loquendi formula, quam ex *Iſidoro* recitavimus, ab ipſo Venerabili *Bedâ* uſurpatur (qui Noſtras erat, & Sæculum Octavum attigit) in Sermone [h] ab illo habito ſuper Epiphaniam Domini, Cujus & alia duo, quæ hûc faciunt, ſubjungimus Teſtimonia. *Loco Carnis* (ait [i]) *& Sanguinis Agni, ſubſtituit Chriſtus Sacramentum Carnis ſuæ & Sanguinis in Figurâ Panis & Vini.* Item, [k] *Dedit in Cœnâ Diſcipulis figuram*

Venerabilis Beda, *A. D.* 720.

h *Serm. de Epiph.*

i *Comm. in* 22. *L.*

k *Comm. in* 3. *Pſal.*

figuram Sacro-ſancti Corporis & Sanguinis ſui. Quæ Tranſubſtantiationem penitus evertunt.

Carolus Magnus, *A. D.* 778.

XXVIII. Eodem Sæculo Octavo ſcripſit *Carolus Magnus* Epiſtolam ad *Alcvinum* noſtrum, in quâ hæc verba legimus. [1] *Chriſtus cœnando cum Diſcipulis Panem fregit, & Calicem pariter dedit eis in figuram Corporis & Sanguinis ſui, nobiſque profuturum magnum exhibuit Sacramentum.* Quòd ſi Figura ſit Corporis, ipſum Corpus eſſe non poteſt: Datur quidem Corpus Chriſti in Euchariſtiâ, ſed mediante Sacramento Panis Conſecrati datur, cuicunque tardem datur fidelium.

[1] *Epiſt. ad* Alcvinum *de ratione Septuag.*

Paſchaſius, *A. D.* 818.

XXIX. Ineunte demum Sæculo Nono, prodiit *Paſchaſius*, Monachus *Corbeienſis*, qui primus (uti nonnulli perhibent, quorum ſententiæ ipſe tamen non accedo) *Latinorum* omnium Conſubſtantiatum in Cœnâ Chriſtum, ſeu potiùs Impanatum, & Corporaliter Pani Unitum docuit [m], Nondum enim ad Tranſubſtantiatum Panem perventum erat. At novum iſtud loquendi genus, quum à Doctrinâ Catholicâ & mente Veterum Patrum eſſet alienum, nullos fere fautores habuit ante Sæculum Undecimum. Nec defuerunt hâc ipsâ etiam ætate, ad quam

[m] *Lib. de Corpore & Sang. Chriſti.*

nunc

nunc pervenimus, Viri doctissimi (quales erant *Amalarius* Archidiaconus *Trevirensis*; *Rabanus* primùm Abbas *Fuldensis*, deinde Archiepiscopus *Moguntinus*; *Johannes Erigena* Theologus *Britannus*; *Walafridus Strabo* Abbas *Germanus*; *Ratramus* sive *Bertramus*, Presbyter primùm *Corbeiensis*, pòst Abbas factus *Orbasiensis* Monasterii apud *Gallos*; aliique quamplurimi,) qui Scriptis suis huic sive *Paschasii*, sive aliorum potiùs novæ Opinioni contradixerunt, & Veteris Ecclesiæ Doctrinam nobis conservârunt. Sed, interim de *Paschasio* aliquid amplius adjiciendum est, quem tanti fecerunt Cardinalis *Bellarminus* [n], & Jesuita *Sirmondus* [o], ut dicere non vererentur, Eum primum omnium fuisse, qui seriò scripsit de hoc Eucharistiæ argumento, & ità sensum Ecclesiæ explicuisse, ut aliis omnibus pòst eum secutis viam aperuerit qui hanc materiam tractârunt. In hoc tamen toto Opere nihil invenire est, quod vel annihilato, vel subtracto, vel Transubstantiato Pani faveat. Veritatem quidem Corporis & Sanguinis Christi in Eucharistiâ asserit, quod Protestantes non negant; Negat verò Panem consecratum Nudam esse Figuram, aut vacuam sine Veritate re-

n Bellarm. *de Script. Eccles. verbo* Paschasius.

o Sirmondus *in vitâ* Paschasii, *Operibus ejus* Lutetiæ *excusis præfixâ.*

præsentationem, quod Protestantes non asserunt. Quin & multa habet quæ cum Transubstantiatione pugnant, ad quam tunc temporis ab ipsâ *Romanâ* Ecclesiâ nondum (uti dicebamus) perventum erat. Recitabo nonnulla illius Testimonia. *Christus* (ait) *reliquit nobis hoc Sacramentum, visibilem Figuram & Characterem Carnis & Sanguinis, ut per hæc mens nostra ad invisibilia & Spiritualia capessenda per fidem uberiùs nutriatur.* Rursus, *Oportet Spiritualia Sacramenta palato mentis & gustu fidei percipere.* Item, *Dum nihil Carnale in eo sapimus, sed Spirituales totum Spiritualiter intelligentes, in Christo manemus.* Et paulò pòst, *Caro Christi & Sanguis sumitur Spiritualiter.* Deinde, *Sapere secundum Carnem, mors est, & tamen Veram Christi Carnem Spiritualiter percipere, Vita æterna est.* Iterum, *Non Carnaliter* (inquit) *Caro & Sanguis Christi percipiuntur, sed Spiritualiter.* In quibus Verbis docet, Cœnæ Mysterium non Carnaliter sed Spiritualiter accipi, ac sic etiam intelligi debere; ignotum verò fuisse Veteri Ecclesiæ illud Corporale & Orale Transubstantiationis Somnium. Quæ verò huic Libro astu & operâ cujusdam (haud dubiè)

dubiè) superstitiosi & falsarii hominis (sicut hoc communiter in Veterum Scriptis fieri consueviſſe *Eraſmus* passim conqueritur) inserta & suppositа sunt, fabulosa quædam de Visibili specie Corporis Christi in formâ Infantis, & digiti Carnis crudæ, *Paschasii* nomine indigna sunt, qui non aliam Doctrinam de Eucharistiâ tradere profitebatur, quàm qualem ex antiquis Patribus didicerat, & non ex Apocryphis aut fabulosis Miraculorum Narrationibus.

XXX. Illorum autem quos in hoc Sæculo scripsisse memoravimus, Testimonia in medium producere erit operæ pretium. *Amalarius* ità præfatur. P *In omnibus, quæ scribo, ſuſpendor Virorum Sanctorum, atque piorum Patrum, judicio; interim dico quæ ſentio. Quæ aguntur in celebratione Miſſæ, in Sacramento Dominicæ Paſſionis aguntur, ut ipſe præcepit. Idcirco Presbyter immolans Panem, & Vinum & Aquam, in Sacramento, ſeu vice, eſt Chriſti; Panis, Vinum & Aqua, in Sacramento Carnis Chriſti & Sanguinis ejus. Sacramenta enim debent habere ſimilitudinem aliquam earum rerum quarum Sacramenta ſunt. Quapropter ſimilis ſit Sacerdos Chriſto, ſicut Panis & Liquor*

Amalarius, *A. D.* 820.

p *Præf. in Lib. de Eccleſ. Offic.*

Liquor similia sunt Corpori & Sanguini Christi. Sic est Immolatio Sacerdotis in altari, quodammodo ut Christi Immolatio in cruce. Iterum, q *Secundum quendam modum, Sacramentum Corporis Christi, Corpus Christi est. Si enim Sacramenta quandam similitudinem earum rerum, quarum Sacramenta sunt, non haberent, omnino Sacramenta non essent: ex hâc autem similitudine plerunque jam ipsarum rerum nomina accipiunt.* Rursus, *Sacramenta ad hoc valent, ut nos perducant ad ipsas res, quarum sunt Sacramenta.* Quæ ex verbis S. *Augustini*, & planè ad mentem purioris Ecclesiæ, scripsit *Amalarius.*

q *Lib.* 1. *de Eccles. Off. c.*24.

Rabanus, *A.D.*825.

XXXI. *Rabanus Maurus* Nobilissimus ejusdem temporis Doctor (cui nec *Italia* similem, nec *Germania* pepererat æqualem r) luculentam hanc suam Confessionem edidit; s *Maluit Dominus Corporis & Sanguinis sui Sacramenta fidelium ore percipi, & in pastum eorum redigi, ut per visibile Corpus invisibilis ostenderetur effectus. Sicut enim Cibus materialis forinsecus nutrit Corpus & vegetat, ità etiam verbum Dei intus animam nutrit & roborat.* Item, *ex terræ fructibus voluit hæc Sacramenta confici, ut sicut ipse Deus invisibilis in Carne visibili ad salvandos*

r Trithemius *de Scriptor. Eccl.*

s Rabanus Maurus *de Instit. Cler. l.*1. *c.*31.

salvandos mortales m[illegible]lis apparuit; ità etiam ex materiâ visi[illegible] rem invisibilem congruè ipsis demonstraret. Hujus rei Sacramentum de Mensâ Dominicâ assumitur quibusdam ad vitam, quibusdam ad exitium; res verò ipsa, omni homini ad vitam, nulli ad exitium, quicunque ejus particeps fuerit, id est, Christo Capiti membrum associatus fuerit in Regno Cœlesti; quia aliud est Sacramentum, aliud virtus Sacramenti. Sacramentum enim ore percipitur, virtute Sacramenti interior homo satiatur. Et sicut in nos id convertitur, quum illud manducamus & bibimus, sic & nos in Corpus Christi convertimur, dum obedienter & piè vivimus. —— Sumunt ergo fideles bene & veraciter Corpus Christi, si Corpus Christi non negligant esse; fiunt Corpus Christi, si volunt vivere de Spiritu Christi. Quæ omnia cum novo Pontificiorum Dogmate nequaquam congruunt, & ab eâ, quam dicunt *Paschasii*, Sententiâ maximè discrepant Propter hæc autem & similia ab Autoribus Pontificiis[t], qui quarto & sexto pòst Sæculo scripserunt, *Rabanus* tanquam erroneus rejicitur. Sed cogitare debuissent se non modò *Rabanum*, verùm etiam omnes Priscæ Ecclesiæ Doctores simul cum *Rabano* condemnâsse.

[t] Guli. Malm. *A.* 1200. & Tho. Wald. *A.* 1400.

XXXII. Jo-

Joh. Erigena, *A.D.* 860.

XXXII. *Johannes Erigena* Popularis noſter (quem *Alfredus* Rex ſibi ac ſuis Liberis Præceptorem conſtituit, & ad inchoatam *Oxonii* Academiam adornandam miſit) dum in *Galliis* ageret, ubi *Carolo Calvo* Regi acceptiſſimus fuit, Libro de Corpore & Sanguine Domini conſcripto [u], non diſſimilem doctrinam expoſuit, eamque clariſſimis Scripturæ S. ac Veterum Patrum Teſtimoniis comprobavit. Sed poſtea in *Malmesburienſe* Cœnobium ſe conferens, quum *Dyoniſii* Librum de Hierarchia, quem *Latinum fecit*, interpretaretur, & doctrinam tum primò pullulantem de Carnali Chriſti in Euchariſtiâ præſentiâ taxaret, à male feriatis Diſcipulis, quorundam Monachorum impulſu [x] graphiis confoſſus eſt; quamvis illum non multò pòſt inter Sanctos Martyres alii [y] collocârint.

u *Qui ducentis pòſt annis, ſub* Leone IX. Papâ, *damnatus eſt ab iis qui pro* Metuſiaſtis *pugnabant.* Lanf. *in* Ber.

x Anton. *tit.* 16. *cap.* 2. §. 3. Vincent. *l.* 24. *cap.* 42. *& alii.*

y Malmesb. *de geſtis Reg.* Angl. *lib.* 2.

XXXIII. *Walafridus Strabo* eodem fere tempore ad hunc modum ſcripſit. [z] *Itaque Chriſtus in Cœnâ, quam ante traditionem ſuam, ultimam cum Diſcipulis habuit, poſt Paſchæ Veteris Solennia, Corporis & Sanguinis ſui Sacramenta in Panis & Vini Subſtantiâ eiſdem Diſcipulis tradidit, —— & à Carnalibus ad Spiritualia, à Terrenis ad Cœleſtia, ab Imaginibus*

Walafridus Strabo, *A. D.* 860.

z *De Reb. Eccl. c.* 16.

ginibus ad Veritatem docuit tranſeundum.

XXXIV. De Sententiâ *Bertrami* (qui & *Ratramnus*, ſive *Ratramus*, à quibuſdam fortaſſis non rectè appellatur) ſatis conſtat, ex Libro quem juſſu *Caroli Calvi* Imperatoris (cui equidem & bonis omnibus propter ſummam eruditionem & vitæ ſanctitatem, Charus erat & Venerabilis) de Corpore & Sanguine Domini eruditè conſcripſit. Quum enim ex *Paſchaſii* Libello homines aliquot turbari cœpiſſent, aliis alia (ut fit) ſubinde affirmantibus; tandem eorum altercationibus permotus Imperator, duas ipſe *Bertramo* propoſuit Quæſtiones. 1. An quod in Eccleſiâ fidelium ore ſumitur Corpus & Sanguis Chriſti in Myſterio ſeu figurâ fiat? 2. An ipſum naturale Corpus quod de *Mariâ* Virgine natum eſt, paſſum, mortuum, & ſepultum, quodque ad dexteram Dei Patris conſedit, ſit illud quod ore fidelium per Sacramenti Myſterium quotidie ſumitur? Quarum primæ *Bertramus* affirmativè reſpondet, ſecundæ verò negativè, atque tantum ait inter utrumque Corpus eſſe diſcrimen, quantum eſt inter pignus & eam rem pro quâ pignus traditur. *Claret* (inquit)

Bertramus, *Presbyt. & Abb. A.* 860.

quit [a]) *quia Panis ille Vinumque figuratè Christi Corpus & Sanguis existit.* —— *Secundum Creaturarum substantiam, quod fuerunt ante Consecrationem, hoc & postea consistunt.* —— *Nam substantialiter Panis Christus non est.* —— *Etsi nullâ sub figurâ Mysterium illud peragitur, jam Mysterium non ritè vocitatur.* —— *Vinum quoque quod Sacerdotali Consecratione Christi Sanguinis efficitur Sacramentum, aliud superficie tenus ostendit, aliud interiùs continet. Quid enim aliud in superficie quàm Substantia Vini conspicitur? Mutata sunt ista secundum aliud quàm secundum Corpus, ac per hoc non id sunt quod in veritate videntur, sed aliud quod non sunt secundum propriam existentiam: facta enim sunt spiritualiter Corpus & Sanguis Christi; non quòd duarum sint existentiæ rerum inter se diversarum, verùm una eademque res; secundum aliud speciem Panis & Vini consistit, secundum aliud autem Corpus & Sanguis Domini.* —— *Unde secundum Visibilem Creaturam Corpus pascunt, juxta verò potentioris virtutem substantiæ mentes fidelium & pascunt, & sanctificant.* Et quum alia quàmplurima in hunc sensum, tum ex S. Scripturâ, tum ex antiquis Patribus produxisset; in fine Calum-

a *Lib. de Corp. & Sang. Dom. parte prima.*

Ibid. part. 2.

Calumniæ occurrit, quam eo tempore *Paſchaſium* ſecuti rectè ſentientibus intentârunt; quaſi videlicet docerent, in Sacramento non Corpus & Sanguinem Chriſti, ſed nuda tantùm Signa, Imaginem, Speciem, & Figuram exhiberi. *Nec ideo* (ait) *quoniam iſta dicimus, putetur in Sacramenti Myſterio, Corpus Domini & Sanguinem ejus non ſumi, quando fides, non quod oculis videt, ſed quod credit, accipit; quoniam eſt Spiritualis Eſca, & Spiritualis Potus, Spiritualiter animam paſcens, & æternæ ſatietatis vitam tribuens.* Non enim ſimpliciter & abſolutè, de reali veritate, ſine quâ Myſterium eſſe non poteſt, ſed de pſeudo-reali exiſtentiâ rerum ſub Speciebus in aëre pendentibus, & de Carnali Præſentiâ tota quæſtio inſtituta eſt.

XXXV. Quæ omnia quum *Romani* Inquiſitores & Patres *Tridentini* concoquere nullo modo poſſent, in Indicem Librorum Prohibitorum [b], tanquam damnatum penitus Autorem, *Bertramum* amandarunt. Profeſſores verò *Duacenſes*, quum remedium iſtud paulò violentius eſſe animadverterent, quodque Cauſæ Pontificiæ magis obfuturum quàm opitulaturum eſſe vererentur, ad alias artes (quæ à Cenſoribus Librorum, atque

b *Index Librorum Prohibit. in fine Concilii Trid. Autoritate Papæ editus, in Lit. B.*

atque Indicis expurgatorii Concinnatoribus *Belgicis* probatæ sunt) hûc confugiendum censuerunt. [c] *Liber ille* Bertrami (inquiunt) *quum jam sæpe recusus sit, & lectus à plurimis, ac per interdictum nomen omnibus invotuerit, emendatus tolerari queat*; *Fuit enim* Bertramus *Catholicus Presbyter, ac Monachus* Corbeiensis *Cœnobii*, Carolo Calvo *Carus ac Venerabilis. Et quum in Catholicis Veteribus aliis plurimos feramus errores, extenuemus, excusemus, EXCOGITATO COMMENTO* (En fidem hominum!) *persæpe negemus, & commodum sensum eis affingamus, dum opponuntur in disputationibus, aut in conflictationibus cum Adversariis*; *non videmus cur non eandem æquitatem & diligentem recognitionem non mereatur* Bertramus, *ne Hæretici egganniant, nos Antiquitatem pro ipsis facientem exurere & prohibere: quia & illud metuimus, ne Liber iste, non solùm ab Hæreticis, verùm immorigeris quoque Catholicis, ob interdictum avidiùs legatur, odiosiùs allegetur, & plùs vetitus quàm permissus noceat.* Quodnam igitur hîc excogitatum est ab illis Commentum? Ubi in *Bertramo* legitur; [*Quæ à se differunt, idem non sunt*; *Corpus Christi quod mortuum est, & resurrexit,*

c *Index Expurgat.* Belg. *jussu & auto.* Phil. 2. Hisp. *Regis, atque* Albani *Ducis consilio concinnatus, p.* 54. *v.* Bert.

resurrexit, & immortale factum jam non moritur, æternum est, nec ulteriùs passibile; hoc autem quod in Ecclesiâ celebratur, temporale est, non æternum; corruptibile est, non incorruptum. Postremæ huic Sententiæ suum hunc commodum sensum affingunt, ut intelligatur, *De Speciebus Sacramenti corruptibilibus, aut de re ipsâ & usu Sacramenti, qui non contingit, nisi in præsenti Sæculo.* Aut si hoc Commentum non sufficiat, haud malè & inconsultè omittantur omnia hæc, delendum verò est *Visibiliter*, & legendum *Invisibiliter*; *Secundum Creaturarum Substantiam quod priùs fuerunt ante Consecrationem, hoc & post ea consistunt*, explicandum est, *Secundum externas Species*, id est, *Accidentia Panis & Vini.* Quamvis apertè fateantur, *Bertramum tunc temporis nesciviſſe, Accidentia ista absque omni Substantiâ subsistere, & cætera quæ subtilissimè & verissimè posterior ætas per S.S. addiderit.* Quantò verò faciliùs unâ liturâ Libellum integrum deleviſſent? quemadmodum in Indice suo expurgatorio Censores *Hispani* rem totam breviter & per compendium confecerunt. *Deleatur* (inquiunt [d]) *tota Epistola* Udalrici, *Episcopi* Augustani, *de Cælibatu Cleri; & totus*

[d] *Index expurg. Hisp.* D. Gasp. Quiroga, *Card. & Inquisit. gen. in fine Lit.* o.

Liber Bertrami *Presbyteri de Corpore & Sanguine Domini penitus auferatur.* Quod quid aliud est quàm, ut olim adversus Gentes dixit *Arnobius*, e *Scripta publica intercipere, & veritatis testificationem timere?* Nam quod *Sixtus Senensis* f, & *Antonius Possevinus* g, Librum hunc de Corpore & Sanguine Domini ab *OEcolampadio*, sub Titulo *Bertrami* Presbyteri, scriptum esse asserunt, id sanè omnem falsitatem superat.

e Arnob. *lib.* 3.

f Sixt. Sen. *præf. in Bibl. Sanct.*

g Possev. *Prol. in Appar. Sacr.*

XXXVI. Pervenimus ad Sæculum Decimum; in quo, præter multa illa Catholicorum Patrum dicta, quæ contra Novatores aliquos de Corpore & Sanguine Christi congessit *Herigerus* Abbas *Lobiensis*, habemus etiam *Paschalem Anglo-Saxonum* Homiliam h, publicè olim in Ecclesiis nostris legi solitam. Quænam verò illis temporibus de hoc Religionis Capite apud nos recepta fuerit doctrina, tum ex totâ illâ Concione non obscurè colligitur, tum ex illâ præsertim ejusdem parte, in quâ inter naturale Christi Corpus, & Hostiam consecratam, varia ostenduntur discrimina, apertè cognoscitur. Nam ad hunc modum populum universum instituit; *Multùm interest inter Corpus, in quo passus est Christus, & Corpus quod in*

Herigerus *Abbas, A.* 980.

h *Homilia* Paschalis *Anglo-Sax. A. D.* 990. *Impressa* Lond. *& MS. in publ.* Cantabr. *Acad. Bibliothecâ.*

in Hostiâ consecratur. Corpus quidem in quo Christus passus est, ex Mariæ *Virginis carne natum est; ac sanguine, ossibus, cute, nervis, & membris humanis, atque animâ rationali constat. At spirituale ejus Corpus, quod Hostiam appellamus, ex multis granis collectum est, sine sanguine, sine ossibus, membris, & animâ.* Deinde, *Christi Corpus, quod semel mortuum est, & à morte resurrexit, deinceps nunquam morietur, sed æternum est & impassibile; Hostia verò ista temporaria est, corruptibilis, in varias partes distributa, dentibus confecta, & in ventrem transmissa. Denique Mysterium hoc pignus est & figura: Christi Corpus est veritas ipsa. Quod videtur, Panis est; quod spiritualiter intelligitur, vita est.* Extat & alia *Wulfini* Episcopi Concio ad *Clerum*, Sacerdotalis Synodi inscriptionem præferens, in quâ eadem sententia & doctrina ità explicatur i. *Hostia illa est Christi Corpus, non Corporaliter, sed Spiritualiter; non Corpus in quo passus est, sed Corpus de quo locutus est, quando Panem & Vinum in Hostiam consecravit.* Quam & nos hodieque in Ecclesiâ Nostrâ *Anglicanâ* Catholicam veritatem profitemur.

i *Homil. Sacerdot. Synodi, impr.* Lond. *cum Homil.* Paschali.

XXXVII. Hucusque igitur per Annos Mille à nato in Carne Christo, consentientia Veterum Patrum Testimonia adscripsimus, atque ea omnia paulò copiosiùs recitavimus, ut inde cuivis non cæcutienti pateat, Veram & Apostolicam de hoc Mysterio doctrinam ad hæc usque tempora fuisse ab omnibus conservatam, paucis tantùm quibusdam exceptis, qui post Annos Christi Octingentos, etiam de modo præsentiæ & perceptionis Corporis Domini disputare & quærere, nondum tamen aliquid certi definire contra Orthodoxam Vetustatis doctrinam ausi sunt. Ne autem in immensum crescat hoc Caput, cætera quæ hûc faciunt in sequenti Capite adnotabimus.

CAPUT

CAP. VI.

I, II, III, & seq. *In quibus Veteris Ecclesiæ Doctrinam & Praxin cum Doctrinâ de* Transubstantiatione *pugnare fusiùs ostenditur; Atque ad Objectiones Pontificiorum ex Antiquitate fruſtrà quæsitas respondetur.*

I. ILLIS quæ hactenus usque ad Annum Christi Millesimum Testimonia attulimus, potuissent & alia multa interseri ex Antiquorum Monumentis; sed ea per unumquodque Sæculum brevitatis studio omisimus: veluti sunt in Sæculo I. post Sacras Scripturas, Scripta [a] *Clementis Romani*, quæ à Pontificiis laudantur, sed *Transubstantiationi* quamplurimum adversantur, unà cum [b] S. *Ignatio* Episcopo *Antiocheno*, & Martyre. In II. [c] S. *Theophilus* ejusdem *Antiochiæ* quartus post *Ignatium* Episcopus; [d] *Athenagoras* etiam, & [e] *Tatianus* S. *Justini* Martyris Auditores. In III. [f] *Clemens Alexandrinus Origenis* Præceptor, & [g] *Minutius*

Scriptores superiori Capite omissi.

a *Const. Ap. lib. 6. c. 23. & 29.*
b *Epist. ad* Philad.
c *Ad* Aulol. *lib. 2.*
d *Legat. pro Christ.*
e *In Diatess.*
f *De Strom. lib. 1. & de pæd. g. lib. 2.*
g *In* Octavio.

tius Felix Orator Christianus. In IV. h Eusebius Cæsariensis Episcopus, i Juvencus Presbyter Hispanus, k Macarius Ægyptius, l Sanctus Hilarius Pictaviensis Episcopus, m Optatus Episcopus Milevitanus, n Eusebius Emissenus, o Gregorius Nazianzenus, p Cyrillus Alexandrinus, q Epiphanius Salaminensis, r S. Hieronymus, s Theophilus Alexandrinus, & t Gaudentius Brixiensis Episcopus. In V. u Sedulius Presbyter Scoticanus, x Gennadius Massilienſis, & y Faustus Regiensis Episcopus. In VI. z Fulgentius Africanus, a Victor Antiochenus, b Primasius Episcopus, & c Procopius Gazeus. In VII. d Hesychius Presbyter Hierosolymitanus, & e Maximus Abbas Constantinopolitanus. In VIII. f Johannes Damascenus. In IX. g Nicephorus Patriarcha, & h Hincmarus Archiepiscopus Rhemensis. Denique in X. i Fulbertus Episcopus Carnotensis. Quibus ad cumulum addenda sunt etiam ipsa Concilia Patrum, k Ancyranum, l Neocæsariense, & præter m Nicenum r. Superiùs adductum, n Laodicenum,

h *De Demonstr. Evang. l. 1. c. 10. & lib. 8. cap. 2.*
i *De Hist. Evang. l. 4.*
k *Hom. 37.*
l *In Matt. & de Synod.*
m *Contra Parm. l. 3.*
n *Hom. l. de Coes. Chr.*
o *Orat. de fun. Greg.*
p *In Joh. l. 4. c. 14.*
q *In Ancorato.*
r *Contra Jovinian. & in 31. Jer. & in 26. Matt.*
s *Epist. Pasch. 2.*
t *In Exod. 2.*
u *In Epist. S. Paul.*
x *De Dogm. Eccl. c. 25.*
y *Homil. 3. in Epiph.*
z *De fide Cas. 16. & Ep. ad Ferrand.*
a *Com. in T4. Marc.*
b *In Epist. ad Cor.* c *In Gen. 49.* d *In Levit. l. 6.* e *In Hierarch. Dion.* f *De fide Orthod.* g *De Cherub. c. 6.* h *In Vitâ S. Remig.* i *Epist. ad Adeodat.* k *Anno 314. Can. 2.* l *A. eodem Can. 13.* m *In Act. lib. 2. c. 30.* n *A. 364. Can. 25.*

o *Cartha-*

[o] *Carthaginenſe*, [p] *Aurelianenſe*, [q] *Toletanum* 4, [r] *Bracarenſe*, [s] *Toletanum* 16, & [t] *Conſtantinopolitanum* in *Trullo*. Ex his enim omnibus conſtat *Tranſubſtantiationis* gangrænam nondum Orbis Chriſtiani Eccleſias depaviſſe; ſed ſanam ubique doctrinam de Corpore & Sanguine Domini, ejuſque verâ (Spirituali & Myſticâ tamen, non Carnali) præſentiâ, unà cum Symbolis Panis & Vini in Subſtantiâ ſuâ poſt Conſecrationem Euchariſtiæ remanentibus, retentam eſſe. Et, quamvis utrumque loquendi genus à Priſcis Patribus uſurpatum fuerit (videlicet, Panem & Vinum Verum eſſe Corpus & Sanguinem Chriſti, in quæ Myſticè permutantur, eademque itidem eſſe Veri Corporis & Sanguinis Chriſti Signa, Symbola, Antitypa, Pignora, Imagines, Figuras, Similitudines, Repræſentationes, & Exemplaria, quorum propria Subſtantia non eſt ablata) nullam tamen in ſenſu contrarietatem, aut diverſitatem fuiſſe. Neque enim tam nullius fidei erant, ut vacua hæc & nuda tantùm eſſe Signa, aut Elementa crederent, neque tam craſſi & rudis ingenii, ut Sacramentalem & Myſticam à Carnali & Naturali (prout nunc à Tranſubſtantiatoribus docetur) Chriſti Præſentiâ

[o] *A.* 397. *Can.* 24.
[p] *A.* 541. *C.* 4.
[q] *A.* 633. *Can.* 17.
[r] *A.* 675 *C.* 2.
[s] *A.* 693. *C.* 6.
[t] *A.* 691. *Can.* 32.

sentiâ non distinguerent? Nam talem omnino permutationem Sacramentis omnibus communem, hîc fieri intellexerunt, quâ externa Symbola in res ipsas divinas conversa esse non aliam ob causam dicuntur, quàm quia verè & efficaciter illas repræsentant, & fideles verè illarum participes fiunt, dum ea ore percipiunt; eamque, ex Spiritûs S. virtute, & Christi Domini instituto, prerogativam divinam acquirunt quam ex naturâ suâ non habent. Atque hoc illud est, quod per Mille & ampliùs Annos de Sacratissimo Eucharistiæ Mysterio, ex Canonicis Scripturis, erudita, ac Sancta, tradidit Antiquitas.

II. Sunt & alia nonnulla, ex quibus intelligi potest, Veteres non credidisse *Transubstantiationis* Commentum, aut Præsentiam Corporis & Sanguinis Dominici Accidentibus Panis & Vini ità alligatam esse, ut quamdiu illa supersunt, & Panem Vinumque referunt, tamdiu etiam extra usum Sacramenti præsens sit Christus. Certum enim est, apud complures Veterum usu receptum fuisse, ut [u] *quæ post peractam Communionem Elementorum reliquiæ supererent, in ignem conjectæ comburerentur.* Et quis

[u] Hesychius *lib.* 2. *in* Levit. *cap.* 8. *A. D.* 600.

quis credat ullum Christianum, Christum Dominum & Redemptorem suum, ejusque Corpus & Sanguinem, si coràm positum in potestate suâ habeat, in ignem conjicere, vel velle vel audere? Equidem facinus id fuisset non minùs horrendum, quàm quod olim perfidissimi *Judæi* patrârunt. Cremâssent enim illi quod hi Cruci affixerunt, ipsum verum ac naturale Corpus Christi, quod ex Mariâ Virgine assumpsit, si modò *Transubstantiationem* credidissent. Veteres itaque qui fragmenta Panis consecrati, reliquiasque Vini in celebratione Eucharistiæ inconsumpti combussêre, à fide & doctrinâ *Romanæ*, quæ nunc est, Ecclesiæ remotissimi fuerunt. Quod & itidem comprobatur ex pœnâ illâ Canonicâ unicuique Clericorum decretâ, [x] cujus negligentiâ vel mus, vel aliud animal Sacrificium (seu Panem Consecratum) comederit. Ipsum verò naturale Christi Corpus à muribus, aliisve brutis animalibus corrodi posse, aut comedi, quis unquam nisi mentis inops admitteret? Id quod primos *Transubstantiationis* Patronos in maximas angustias conjecit, & quidvis potiùs aliud comminisci maluerunt, quàm ut illud admittere viderentur; cùm

Can. Eccl. Angl. *apud* Spelmanum, *tredecimus inter eos qui* Bedæ *titulum præferunt, A. D.* 700. *Can. ejusd. Eccl. sub* Edgaro *Rege* 38*us.* ib. *A. D.* 970.

x *Conc.* Arelat. 3. *Citat à* Gratiano, *de Consecr. dist.* 2. *A. D.* 640.

cùm satis intelligerent, quàm id abominandum sit, & Christo, fideque, & Religione Christianâ indignum; & tamen à fide Romanâ hodiernâ non abhorret; imò ex hypothesi *Transubstantiationis* necessariò quidem deducitur, y Corpus Christi posse esse in ventre muris, sub Specie Panis. Contraria verò opinio non modò hodie à Pontificiis non tenetur, sed ne deinceps teneatur, ipse etiam z Pontifex Romanus, additâ Excommunicationis pœnâ, prohibuit; adeò ut a dubitare illis non liceat, quin res sit de Fide, quæ à Fide maximè abhorret.

y Alex. Alens. *lib.* 4. *q.* 45. *m.* 1. *art.* 2. *& q.* 53. *m.* 3. Thom. *in* 3. *q.* 80. *art.* 3. *& in* 4. *d.* 9. *q.* 2.

z Greg. XI. *in Director. Inquisit. p.* 1. *n.* 15. *& p.* 2. *q.* 10.

a Vasq. *Disp.* 195. *in* 3. *c.* 5.

III. Sed videamus interim, quibus tandem fulcimentis (ab Antiquitate frustrà quæsitis) hoc suum Transubstantiationis dogma statuminatum eunt novi isti rerum incredibilium Architecti. Solent illi plurima quidem ex primæ & mediæ ætatis Patribus corradere Testimonia, quibus probare conantur, Eos de Transubstantiatione Panis & Vini in Carnem & Sanguinem Christi naturalem, idem omnino & sensisse & docuisse, quod hodie *Romana* Ecclesia sentit, credit, ac docet. Ea igitur breviter excutiemus, ut inde adhuc plenius cognoscatur, venerandam Antiquitatem

&

& Patrum Scripta, ne verbo quidem unico novitati Transubstantiationis patrocinari; sed veram illam doctrinam, quam ab initio tradidimus, magnâ constantiâ in Ecclesiâ Christi retentam, & custoditam fuisse.

IV. Quæ verò ex Veteribus hûc trahunt testimonia ad certa sua Capita possunt omnia fere redigi, ne ad singula separatim prolixè nimis respondendum sit.

V. Ad Primam Classem referenda sunt ea [b], quibus Eucharistia dicitur Corpus & Sanguis Domini. *Resp.* Sed ipsimet Patres passim sese explicant, & hanc suam loquendi rationem ità interpretantur, ut ea mysticè & spiritualiter intelligatur, quatenus Sacramenta ex illâ similitudine, quam cum rebus habent quarum Sacramenta sunt, plerumque ipsarum rerum nomina accipiunt; *Non rei veritate, sed significante mysterio*, uti superiùs ex *Augustino*, aliisque latè ostensum est. Nemo enim negare potest, quin ea quæ videntur figuræ sint & Symbola; quæ autem non videntur, Corpus & Sanguis Christi: atque adeò mysterium hoc ità esse comparatum, ut quando in Eucharistiâ nobis dantur Panis & Vinum, simul & eodem

I.

b *Responsio ad Testimonia* Irenæi, Origenis, Cyrilli Hieros. Gr. Nazianz. S. Hieron. S. Augustini, & *aliorum.*

c *De Consecr. Dist. 2. c. sicut.*

eodem tempore dantur etiam Corpus & Sanguis Domini, quæ in benedictæ Eucharistiæ Celebratione non minùs exhibentur quàm adumbrantur. Hinc igitur enata est locutio illa Ecclesiastica, Panis benedictus est Corpus Christi.

II. *Responsio ad Test. S.* Hieronymi *Ep. ad* Heliod. 2. *item Ep. ad* Evagrium 85. *& S.* Ambros. *de iis qui init. cap.* 9, &c.

VI. Ad Secundam Classem ea pertinent Testimonia quibus Προεστῶτες, & Presbyteri Christi Corpus Ore Sacro conficere dicuntur, quemadmodum loquitur *Hieronymus* Epistolâ ad *Heliodorum*; & præter alios S. *Ambrosius* de iis qui Mysteriis initiantur. *Resp.* Nempe ad Presbyterorum Preces & Benedictiones Panis Communis factus est Panis Sacramentalis; qui quando frangitur & manducatur, Κοινωνία Corporis Christi est, adeoque Sacramentaliter Corpus Christi rectè dicitur: nam non solùm Corpus Domini repræsentat, sed (ut sæpius jam dictum est) eo percepto, verè quoque Corporis ejus participes efficimur. Ita enim *Hieronymus* ad *Evagrium*[b]; *Ad Presbyterorum Preces Christi Corpus Sanguisque conficitur*, id est, materia talis facta est, ut sumpta sit Communio Corporis & Sanguinis Domini, qualis non esset, nisi Preces istæ præcessissent. Græci dicunt κατασκευάζειν, & ἱερουργεῖν τὸ σῶμα Κυρίου. Bene verò

b *S.* Hieron. *Ep.* 85. *ad* Evagr.

verò hîc ait *Chryſoſtomus*; c *Non ſunt opera humanæ facultatis, quæ proponuntur. Qui olim hæc in illâ Cœnâ fecit, idem, & nunc ea operatur; Nos autem (ὑπηρετῶν) Miniſtrorum tantùm ordinem tenemus. Ipſe verò eſt qui ea ſanctificat (μεταποιῶν) & tranſmutat.*

c S. Chryſoſt. *Hom.* 83. *in S.* Matt.

VII. Pertinent ad Tertiam Claſſem ea quæ adducuntur ex Patribus, de Converſione, Mutatione, Tranſmutatione, Transfiguratione, & Transelementatione Panis & Vini in Euchariſtiâ. Hîc verò mirè gloriantur Tranſubſtantiatores habere ſe Conſenſum totius Antiquitatis. *Reſp.* At reſpondendum eſt, à non diſtributo ad diſtributum non valere conſequentiam. Neque enim ſequitur, Fit Mutatio, Fit Tranſmutatio, Fit Tranſelementatio, Ergo fit etiam *Tranſubſtantiatio*; quæ in Antiquorum Scriptis nuſquam reperitur. Nam quia hoc Sacramentum eſt, Sacramentalis quoque Mutatio intelligi debet, quâ ex Pane & Vino communi fit Sacramentum Corporis & Sanguinis Chriſti; quod tamen niſi interim maneret Panis & Vini Subſtantia, ex Re terrenâ & cœleſti non conſtaret, ac proinde non ampliùs eſſet Sacramentum. Quoniam igitur vulgaris Panis per benedictionem convertitur

III. *Reſponſio ad Teſt. S.* Cypriani, Ambroſii, *utriuſque* Cyrilli, Chryſoſt. Greg. Nyſſ. *& aliorum.*

convertitur in Panem, qui à communi usu exemptus, in hunc usum sacrum, ex instituto divino adhibetur, ut sit Symbolum Sacramentale, per quod repræsentetur Corpus Christi, in quo plenitudo Deitatis habitat Corporaliter; atque adeò in alium ac nobiliorem statum translatus, fiat quiddam amplius quàm quod erat antea; inde Veterum nonnulli Panem mutatum & transmutatum esse dixerunt. Et est sanè illa mutatio verè magna, eaque non naturalis, sed supernaturalis; non tamen substantialis, sive mutatio unius substantiæ quæ substantialiter esse desinat, in aliam quæ substantialiter esse incipiat; sed mutatio statûs ac conditionis, quæ ipsam substantiam & propriam essentiam Elementi non mutat. Id quod ex Sacrâ etiam Scripturâ confirmatur, quæ supernaturalem rerum mutationem, aut conversionem Hominum, quamvis Substantialis non sit, ità tamen quasi Substantialis esset, describere atque exponere solet. Sic qui verbo, Spiritu, & fide Christi renovantur, regenerari, converti, & transformari dicuntur[d]; exuere veterem hominem, & induere novum; esse nova Creatura; sed in aliam substantiam converti aut transubstantiari

d S. Joh. 3.3. 1 S. Pet. 1.3. 1 Cor. 4.15. Rom. 12.3. Eph. 4.22. Gal. 6.15.

tiari non dicuntur. Retinent enim homines, ad hunc modum conversi, idem Corpus humanum, atque eandem animam rationalem quam priùs habuerunt; utriusque tamen status & conditio, quin in melius mutentur, nemo Christianus negaverit. Quid quod ipsi etiam Patres has easdem μεταβολὴς, μεταποιήσεις, & μεταστοιχάσεις voces usurpant, quum de Rebus aliis loquuntur, quæ substantiam suam minimè vel amittunt vel mutant? Sunt enim voces istæ tam amplæ significationis, ut quamvis aliquoties denotent mutationem substantialem, plerumque tamen nonnisi moralem, aut mutationem qualitatum, conditionis, muneris, statûs, & id genus alias indicent. Atque ad hunc modum usurpantur à Patribus Græcis (1 *Irenæo*, 2 *Clemente Alexandrino*, 3 *Origene*, 4 *Cyrillo Hierosolymitano*, 5 *Basilio*, 6 *Greg. Nazianzeno*, 7 *Nysseno*, 8 *Cyrillo Alexandrino*, 9 *Chrysostomo*, 10 *Theodoreto*, *Theophylacto*, & *OEcumenio*) ad denotandam 1 Resurrectionem Corporum, 2 Efficaciam Doctrinæ Cœlestis, 3 Sanctificationem

1 Iren. *l.* 5. *c.* 10.
2 Clem. Alex. *l.* 4. *Strom.*
3 Orig. *Serm.* 2. *in diversos.*
4 Cyril. Hieros. *Catech.* 18.
5 Basil. *Exhort. ad Bapt. & S.* Chrys. *hō.* 5. *de Pœnit.*

6 Greg. Naz. *Orat.* 40. 7 Greg. Nyss. *lib.* 2. *contra* Eunom. *Homil.* 1. *de Resur. Epist. ad* Eustath. *Latin. &* Ambros. 8. Cyril. Alexand. *Epist. Pasch.* 6, 7. *&* 14. 9 *S.* Chrys. *Hom.* 23. *in* Acta Apost. *Idem Hom.* 33. *in* 1 Cor. 10 Theod. *dial.* 2. Theoph. *in* 6 *S.* Joh. *&* OEcum. *in* 1 *Ep. S.* Petri *c.* 1. *una cum multis aliis.*

ctificationem hominis renati, 4 Immortalitatem Carnis resuscitatæ, 5 Pœnitentiam animæ peccatricis, 6 Assumptionem Naturæ humanæ in personam Christi, 7 Regenerationem Sanctorum, 8 Virtutem Gratiæ Divinæ, 9 Vim Baptismi & præstantiam charitatis, 10 Rerum denique multarum tum utilitatem, tum amplitudinem, potentiam, dignitatem, atque adeò mutationem in melius. Nec dissimiles reperiuntur loquendi rationes in Patribus Latinis[e], quibus Conversio Panis & Vini in Eucharistiâ non magis essentialis est aut substantialis, quàm Conversio hominis in Baptismo ad Vitæ novitatem renati, sive (ut loquuntur illi) naturæ humanæ in statum nobiliorem & cœlestem mutatæ, quæ moralis est & mystica, nequaquam verò naturalis substantiæ conversio. Dixit eorum antiquissimus [f]*Tertullianus*, *Deum homini promisisse Substantiam & Corpus Angelorum, hominesque ità transformandos esse in Angelos, sicut Angeli transformati sunt in homines.* Quis verò inde collegerit, aut Angelos substantialiter sive essentialiter conversos esse in homines, aut Corpus humanum ità transformatum iri in Substantiam Angelicam, ut interim Corpus humanum esse desinat; neque amplius

[e] S. Aug. *l.* 4. *contra* Crescon. *cap.* 54. S. Ambr. *de Myster. c.* 9. *& de Sacr. l.* 4. *c.* 4. Faustus Regiensis, *sive* Eusseb. Emissen. *de Pasch.* 55. Facundus, *lib.* 9. *cap. ult.*

[f] Tert. *contra* Marc. *l.* 3. *c.* 9. 24. *& 26.*

ampliùs homines sint, sed propriè & essentialiter fiant Angeli? Enimvero *Tertullianus* totus est in contrarium, aitque g *Angelos ità in homines conversos fuisse, ut interim Angeli permanerent, nec propriam suam substantiam amitterent*; quemadmodum de Pane Eucharistico locuti sunt alii, *Eum Conversum esse in Corpus Christi, etiamsi interim sit quod erat*, ut h *Ambrosius*; *nec recedat à naturâ suâ*, ut *Theodoretus*; *nec desinat esse Substantia Panis*, ut *Gelasius* adserit. Et hoc ipsum Veteres illi omnes, qui suis dicendi modis de Panis & Vini permutatione locuti sunt, absque dubio designatum iverunt. Testes enim omnes à Transubstantiatoribus adducti, de Mutatione tantùm accidentali, morali, & mysticâ loquuntur; de substantiali mentionem nullam faciunt. Transubstantiatio rei est Pontificiis Substantialis Transmutatio. Et nos quidem Transmutationem Elementorum damus; substantialem verò Transmutationem quærimus, nec reperimus usquam.

g *De Carne Christi cap. 3.*

h *Superiùs citati.*

VIII. Ad Quartam Classem ea referri possunt Testimonia, quæ de Tactu, & Visu Corporis Christi loquuntur, & Sanguinem ejus in mysteriis nos haurire dicunt. *Resp.* Sed non abnuimus, non-

IV. *Resp. ad Test. S. Chrysostomi, Cyrilli Alex. & aliorum.*

nulla apud *Chryſoſtomum*, alioſque Patres, inveniri, quæ Emphaticè, imò verò Hyperbolicè, de Euchariſtia prolata ſunt. Ea autem, niſi dextrè capiantur, incautos homines facilè in Errores abducent. Fuit hoc Priſcorum Patrum, & noſtrûm eſt etiam ſtudium ac ſumma cura, Populum Dei inſtruere, ne in Externis Symbolis oculos defigant, ſed ut in illis Corpus & Sanguinem Chriſti mentibus contemplentur, & *Surſum habentes Corda* Cœleſti illo Pabulo toti veſcantur. Perit enim omnis Sacramenti fructus, ſi in Symbolis hæreamus. Hinc igitur factum eſt, ut Sanctiſſimi Patres, quò hæc Auditorum animis vehementiùs & efficaciùs imprimerent, de Typis, tanquam ſi eſſent ipſa Antitypa, Oratorum more multa enuncient, quæ ſi ſtrictiùs ad Iimam revocentur, examen non ſuſtineant. Tale illud Authoris, qui *Cypriani* nomen gerit; [i] *Cruci hæremus, Sanguinem ſugimus, & intra ipſa Redemptoris noſtri vulnera linguam figimus, quibus înteriùs & exteriùs rubricamur.* Tale illud *Chryſoſtomi*, [k] *In Myſteriis Sanguis ex Chriſti latere hauritur*; [l] *hoc admirabili Sanguine Lingua cruentatur*; Iterum, [m] *Conſpicis Dominum immolatum, & turba circumfuſa pretioſo illo Sanguine intingitur*;

i *Sermo de Cœnâ Domini.*

k *Homil. in* Encæn.

l *Hom.* 82. *in* Matt.

m *Lib. de Sacerd.* 3.

intingitur; *Qui cum Patre sursum sedet, in illo ipso temporis articulo omnium manibus pertractatur.* n *Ipsum vides, ipsum tangis, ipsum comedis.* o *Neque enim Angelos, neque Archangelos, sed ipsum horum omnium Dominum tibi ostendo.* Rursùs, p *Nos in unam secum massam reducit, & reipsâ nos Corpus suum efficit, nec se tantùm videri permittit, sed & tangi, & manducari, & dentes Carni suæ infigi; adeò ut per Cibum, quem nobis largitus est, in Carnem suam convertamur.* Tale illud *Augustini*, q *Gratias agamus, non solùm nos Christianos factos esse, sed etiam Christum.* Denique Tale illud *Leonis*, r *In illâ mysticâ distributione hoc impartitur, ut in Carnem illius transeamus.* Equidem si cavillari quis vellet, tam verè nos in Christum, ejusque Carnem in Panem *Transubstantiari*, ex his posset defendere, quàm Panem in Corpus & Vinum in Sanguinem illius substantialiter converti. Sed Protestantes, quibus non licet esse Sophistis, hæc & similia Patrum dicta, candidè (ut æquum est) interpretantur. Non enim Concionatorum verba, quæ per Hyperbolen sæpissime enuntiantur, eo rigore accipienda sunt, quo primùm ad aures Auditorum perveniunt. Neque enim de Pane

n *Hom.* 51. *&* 83 *in* S. Matth.
o *Hom.* 24. *in* 1 *ad* Corinth.
p *Hom.* 45. *in* Joh. *&* 83. *in* Matt.
q *Tract.* 21. *in* Joh.
r *Ep.* 23.

Transubstantiato, sed de Pane *Sacrato* & *Mystico* hujusmodi locutionibus usi sunt Patres: Idque fecerunt, 1. Ut Mysterii dignitatem, quam summam & incomparabilem esse omnes fideles agnoscunt, amplificarent atque extollerent: 2. Ne Communicantes externis Symbolis inhærerent, sed ad res significatas intenti essent, quarum in usu Sacramenti legitimo verissimè participes redduntur: 3. Denique, ut majore cum pietate, reverentiâ, & ardore ad tantum Mysterium celebrandum accenderentur. Atque in eundem modum phrases illas hyperbolicas accipiendas esse, etiam Patres ipsi, cùm ad interpretationem descendunt, satìs apertè declarant.

IX. Postremò, quum iidem ipsi Sancti Patres qui de Pane & Vino S. Eucharistiæ, quasi de ipso Corpore ipsoque Sanguine Domini, quandoque loquuntur, usitatâ scilicet, ubi de Sacramentis Sermo fit, phraseologiâ; eundem Panem & Vinum Eucharisticum, Typos, Symbola, Signa, Figuram Corporis & Sanguinis Christi sæpissimè vocent; vel hinc manifesto liquet, eos cum Protestantibus, non cum Transubstantiatoribus, sentire. Possumus enim, incolumi nostrâ de Sacramento Eucharistiæ Sententiâ,

tentiâ, prioribus illis uti locutionibus quas ſibi favere Pontificii arbitrantur, modò eas (uti par eſt) Sacramentaliter intelligamus. Poſterioribus verò uti nemo poteſt, quin eo ipſo quòd iis utatur, figmentum Tranſubſtantiationis evertat; quum iſta duo, Panem in Corpus Tranſubſtantiari, & eſſe ſimul Typum, Symbolum, Signum, Figuram Corporis Chriſti, ſint proſus ἀσύμβατα. Nam res quæ deſiit eſſe, alterius rei Symbolum ac Figura eſſe nequit; nec res ulla ſui ipſius Typus aut Signum eſſe poteſt.

X. At ſi verba nimis rigidè urgeantur abſque intellectu Sacramentali, nihil aliud ex iis colligi poteſt, quàm Panem & Vinum propriè & realiter ipſum Chriſti Corpus & Sanguinem eſſe, quod ne ipſi quidem Tranſubſtantiatores admittunt. Introducitur igitur in hâc mutatione, non ſubſtantiæ, ſed usûs tantùm novitas; quam ſanè meritò mirificam, ſupernaturalem, & Omnipotentiæ Divinæ propriam nobiſcum agnovit & admirata eſt pia Antiquitas: nam ſine potentiâ & virtute Dei ſingulari fieri non poteſt, ut terreſtris & corruptibilis ille Cibus, Eſca ſpiritualis ac cœleſtis per κοινωνίαν Corporis

Christi nobis esse incipiat. Cúmque à Philosophiâ & ratione humanâ prorsus remotum sit, Christum Carnis suæ de Cœlo (ubi, & non alibi, localiter est) virtutem in nos diffundere, ità ut cum illo in unum Corpus transeamus; rectè & meritò monent Patres quòd simpliciter nos filio Dei dicenti, Hoc est Corpus meum, credere debeamus; quódque Naturæ hic ordo minimè quærendus sit, neque humanis cogitationibus Sacrosanctum illud Mysterium æstimandum. Fides enim cum simplicitate conjuncta, per quam fit, ut verba Domini sollicitare vereamur, magis Deo accepta est, quàm vel ea in peregrinum & improprium sensum violenter detorquere, vel ad determinandum ea quæ tam Angelorum quam Hominum captum superant, sine necessitate & fundamento, per temeritatem, & ambitiosam hominum curiositatem prolabi. Atque hæc generatim ad Loca Patrum, quæ à *Transubstantiatoribus* adduci solent, respondisse nunc sufficiat. Qui ampliorem istarum è Patribus Objectionum Refutationem in hâc re videre desiderat, legat (si lubet) *Hospin.* in Hist. Sacram.[s] & *Marcum Antonium de Dominis* superiùs laudatum[t] in VI. Cap. Lib. V. de Rep. Eccles. atque

[s] *Lib.* II, & IV.

[t] *à* Sect. I. *usque ad* 13.

atque in Ostensione Errorum *Suarezii*, Cap. II.

XI. Locus S. *Ignatii*, qui à *Theodoreto* citatur, & à Pontificiis quibusdam objicitur, ex Epistolâ ad *Smyrnenses* (ubi tamen hodie non legitur) u *Quòd* Simoniani *&* Menandriani *hæretici Eucharistias & Oblationes non admiserint, eò quòd negârint Eucharistiam esse Carnem Salvatoris nostri Jesu Christi*, nihil quidem pro Transubstantiatione facit, sicut fatetur ipse Cardinalis *Bellarminus*. *Non enim* (inquit x) *tam Sacramentum Eucharistiæ, quàm Mysterium Incarnationis oppugnabant Hæretici illi* Menandriani; *qui idcirco* (*ut* Ignatius *ibidem indicat*) *negabant Eucharistiam esse Carnem Domini, hoc est* (*interpretante* Theodoreto y) *Divina Panis & Vini Mysteria esse Corporis Christi reverà existentis Symbola, quia negabant Dominum habere Carnem.* Ne igitur veritatem Carnis Christi propter Symbola Eucharistica fateri cogerentur, ipsam quoque Eucharistiam, & Symbola veri Corporis omnino repudiârunt. Dato enim Symbolo Corporis, datur quoque Corpus Verum, quum Veritas & Symbolum sint Correlata: Phantasma verò Symbolum aut Signum non recipit.

Responsio ad Patrum Testimonia in Specie.

u Theodoret. *Dial.* 3. *ex Ep.* 5. Ignatii.

x Bellarm. *de Euch. l.* 1. *c.* 1. 8. 3.

y *Dial.* 2.

XII. Verba *Justini* Martyris, pro Transubstantiatione allata, eandem prorsus evertunt. Nam, *Quemadmodum* (inquit [z]) *per Verbum Dei Salvator noster incarnatus est, ità per preces Verbi Dei facta est Eucharistia, quâ Carnes nostræ aluntur, Caro & Sanguis Christi.* Sed quando Christus incarnatus est, nemo eum absque hæresi Transubstantiatum esse dixerit.

[z] *Apol. 2. ad Ant. Imp.*

XIII. Quæ ex [a] *Cypriano* afferuntur, *de Pane non effigie sed Naturâ immutato, Cypriani* non sunt, nec contra Protestantes militant. Nam vocem, *Natura*, non strictè accepit ille, quisquis fuit, aut contrarius est *Theodoreto*, *Gelasio*, &c. supra citatis, qui mutari Naturam Panis hoc sensu disertè negant: sed latè, quomodo Natura usui seu conditioni attribuitur. Nam Verbi omnipotentiâ, natura Panis ità mutatur, ut quod antè nudum erat Elementum, Divinum jam fiat Sacramentum, sed absque omni Transubstantiatione. Quod docetur vel verbis sequentibus, quæ pars sunt hujus periodi, *de Humanâ & Divinâ Naturâ Christi*, Ubi, nisi *Eutyches* sequendus sit, Humanitas in Divinitatem non transubstantiatur.

[a] *Serm. de Cœnâ Dom.*

XIV. *Cyrilli*

XIV. *Cyrilli* Verba aiunt Pontificii eſſe tam perſpicua [b], ut nullam Solutionem admittant. Nam, *Qui Aquam* (inquit [c]) *aliquando mutavit in Vinum, nunquid non erit dignus cui credamus, quod Vinum tranſmutavit in Sanguinem? Quare omni cum certitudine Corpus & Sanguinem Chriſti ſumamus; nam ſub Specie Panis datur tibi Corpus, & ſub Specie Vini datur Sanguis.* Sanè mutari Vinum in Chriſti Sanguinem [d] libenter concedunt Proteſtantes, & firmiter (ut ſæpe dictum) credunt; ſed omnis Mutatio non eſt *Tranſubſtantiatio*, neque hanc Mutationem talem dixit *Cyrillus* qualis illa Aquæ fuit. Tunc enim non minùs quàm illa in ſenſus incurreret. At qui Aquam potuit Senſibiliter mutare, quin Vinum quoque poſſit Sacramentaliter convertere, nulli eſt dubitandum. Per Speciem verò Panis & Vini Subſtantiam non excludit, ſed ipſum Panem & Vinum intelligit: Verba enim ſequentia [*Ne conſideres tanquam Nudum Panem & Nudum Vinum*] perinde valent ac ſi dixiſſet, Panis quidem eſt, non tamen Nudus Panis, ſed præterea etiam aliquid aliud. Sed quòd nihil pro Pontificiorum *Tranſubſtantiatione* faciat Converſio illa Aquæ in Vinum à Chriſto Domino facta,

b *Card.* Bellarm. l. 2. *de Euch. c.* 13.

c Cyril. Hieroſol. *Catechi. myſtag.* 4.

d *Senſu jam ſæpius dicto.*

facta, ſic manifeſtum fieri poterit. Quin Omnipotentiâ Dei Subſtantia una in aliam poſſit commutari, nemo negaverit; idque factum videmus à Chriſto in Oppido Cana Galileæ, cùm Aquam in Vinum verterit. Atqui ea vera & propriè dicta Tranſubſtantiatio fuit. Sed in Sacramento Euchariſtiæ alia planè Converſio fieri à Pontificiis affirmatur, quæ nec capi quidem poteſt, ſi quis rem attentè conſideret. Non enim Subſtantia Panis in Subſtantiam aliam quæ non exiſtat, ſed in Subſtantiam Corporis Chriſti, quæ exiſtit & ab Incarnationis tempore per plura Sæcula extitit, converti dicitur. Vinum verò illud numericum, quod ex Aquæ Subſtantiâ fecit Chriſtus, ante eam Tranſubſtantiationem non exiſtebat. Jam facilè quivis intelligit, eum qui omnia creavit ex nihilo, potuiſſe ex Aquâ aut aliâ quâcunque Subſtantiâ Vinum Novum facere. Sed Chriſti Corpus, aut aliam quamcunque Subſtantiam, quæ jam exiſtat & habeat eſſe completum, ex aliâ Subſtantiâ denuo fieri, cùm jam ſit Subſtantia completa, abſurditatem omnem ſuperat. Quod quidem viderunt illi qui Adductionem Corporis Chriſti in locum Panis excogitârunt. Id autem tantumdem eſt

ac

ac si Transubstantiationem negârent; nisi quoties aliquis in locum absentis succedit, in eum Transubstantietur: quod nemo sanus dixerit.

XV. S. *Ambrosius* etiam *Naturam mutari* dicit[d]; & quidem mutatur. Est enim alia Elementi, alia Sacramenti Natura; neque Protestantes *Elementum benedictione mutari* contradicunt, adeò ut Panis jam consecratus non sit Panis *quem Natura formavit, sed quem Benedictio consecravit, & consecrando etiam immutavit.* Interim *Ambrosio* non aliter ibi Christi vel Benedictio vel Sermo operatur, quàm ut sit quod erat, & in aliud commutetur; non igitur per Transubstantiationem, sed per mutationem Sacramentalem Panis fit Caro Christi. Addit, *Sacramentum istud quod accipis Christi Sermone conficitur; Quòd si tantùm valuit Sermo* Eliæ, *ut Ignem de Cœlo depromeret, non valebit Christi Sermo ut Species mutet Elementorum? De totius Mundi operibus legisti; Quia ipse dixit, & facta sunt. Sermo ergo Christi, qui potuit ex nihilo facere quod non erat, non potest ea quæ sunt in id mutare quod non erant? Tu ipse eras, sed eras Vetus Creatura, postquam consecratus es, Nova Creatura esse cœpisti; nec minus est novas rebus*

d *S. Ambros. l. 4. de Sac. Cap. 4. & de Init. myst. c. 9.*

rebus dare quàm mutare naturas. Quibus verbis Sententiam ſuam apertiſſimè explicat; ut hâc mutationis ratione Elementa Panis & Vini non deſinant eſſe per eſſentiam quod ſunt, & tamen per conſecrationem fiant quod antè non fuerunt. Sed ubi ex *Ambroſio*, aut aliis Patribus, didicerunt Tranſubſtantiatores, Sacramentum conficere, idem eſſe quod ſublatâ Panis Subſtantiâ in locum vel ſub Accidentibus ipſius, Naturale Chriſti Corpus ſubſtituere? Aiunt, [e] *ineptam fore comparationem inter mutatas rerum Species à Chriſto & Prophetâ; ſi nihil aliud in Euchariſtiâ conſequatur quàm mutatio Sacramentalis*; quaſi Sacramentalis mutatio res eſſet nihili: *Nam quæ* (inquit Card. *Bellarm.*[f]) *requiritur potentia ad faciendum nihil?* At Proteſtantes reſpondent, Tantam Sacramentorum amplitudinem, majeſtatem, præſtantiam, atque dignitatem eſſe, ut quam Omnipotentiam Dei in rebus ex nihilo producendis, vel naturis rerum miniſterio Prophetarum immutandis admiramur, eandem & non minorem in rebus creatis ad tantum munus ſanctificandis reputemus. Neque enim ab humano arbitrio dependet, ſed divina virtus requiritur, ut res terrenæ & exiles fiant

e Bellarm. *loco citato.*

f *Lib.* 2. *de Euch. c.* 9.

fiant nobis certiſſima Corporis & Sanguinis Chriſti Pignora. Quòd ſi preciſè *Ambroſii* verba urgeamus, *Sermone Chriſti Species Elementorum mutari,* ſicut Cardinalis & alii Tranſubſtantiatores hîc faciunt, ſanè non ſolùm Subſtantiam Panis & Vini, ſed & ipſas Species (quæ illis dicuntur Accidentia) Elementorum in Corpus & Sanguinem Chriſti permutari fatendum erit. Cùm igitur ab *Ambroſio*, atque adeò ab omni Antiquitate, ſine ullo diſcrimine, tam Species Panis & Vini quàm ipſe Panis & Vinum tranſmutari dicantur, quis tandem non intelligat, eo ipſo Tranſubſtantiationis figmentum (quo rerum Subſtantia ità aboleri dicitur, ut ſolis earum Speciebus vel Accidentibus ſine omni Subjecto in Euchariſtiâ locus relinquatur) validiſſimè expugnari atque everti?

XVI. Reliqua Patrum Teſtimonia, ſi *de Pane fieri Corpus Chriſti* dicant, lubenter Proteſtantes admittunt. Fieri enim de Elemento Sacramentum, nec conſiſtere Sacramentum ſine Re Sacramenti firmiter tenent. Nam productivè fieri Chriſtum de Pane, ne Cardinalis quidem affirmabit g. Hoc igitur illud eſt, quod cum *Auguſtino* dicimus, quodque *Patres reliqui.*

g *De Conſecr. diſt. 2. c. Hoc eſt.*

quodque modis omnibus approbare contendimus; *Sacrificium Eucharistiæ duobus confici, Visibili Elementorum Specie, & Invisibili Christi Carne ac Sanguine, sicut Christi persona constat ex Deo & Homine, cùm ipse verus sit Deus & verus Homo; Quia omnis Res illarum rerum naturam & veritatem in se continet ex quibus conficitur. Conficitur autem Sacramentum ex duobus, Sacramento & Re Sacramenti, id est, Corpore Christi.*

XVII. Eant nunc Transubstantiatores cum Triginta duobus suis probatissimis (uti immeritò gloriantur [h]) Testibus, qui ante *Innocentii* Tertii Papæ tempus floruerunt. Tantùm enim abest, verissimum esse, vel quod [i] *Innocentius* decrevit; vel quod [k] Concilium *Tridentinum* sub Anathemate definivit; *Ecclesiæ Catholicæ semper fuisse persuasum, ità transmutari Panem in Corpus Domini, ut Substantiâ Panis recedente, sola maneret Christi Caro sub Accidentibus Panis*; ut istud Transubstantiationis Dogma, non modò quoad Nomen, sed quoad Rem ipsam quoque, Vetustatis patrocinio prorsus destituatur. Dixit [l] *Alphonsus à Castro*, in Antiquis Scriptoribus Raram esse de Transubstantiatione mentionem; rectiùs dixisset,

h *Card.* Bellarm. *de Euch. lib.* 3. *cap.* 20. 3. v.

i *Extrà, de Trin. & fide Cathol. c.* 1.

k *Sess.* 13. *c.* 4.

l *Lib.* 8. *Contra Hæreses Indulg.*

dixisset, Nullam. Sic enim ipsi *Jesuitæ* nostri in Anglia fatebantur; [m] *Rem* (inquiunt) *Transubstantiationis Antiqui Patres ne attigerunt quidem*: quod sanè verissimum est. Id quod latiùs declarandum est Capite Sequenti.

m *Discurs. modest. de Jesuit. p.* 13. & Watt. Quodl. *lib.* 2. *art.* 4.

CAP. VII.

De Scriptoribus Seculi Undecimi & Sequentis, è quibus clarissimè deducitur HISTORIA TRANSUBSTANTIATIONIS PAPALIS. I. *Papæ istorum temporum quales fuerunt.* II. *Infelix Seculum, quo scindebantur Theologi circa Rem Eucharisticam.* III. Fulberti *Sententia.* IV. *Quam sequitur ejus Discipulus* Berengarius, *cui alii contradicunt.* V, VI. Berengarii *Doctrina defensa.* VII. Leonis *Noni rugitus contra* Berengarium. VIII. Victoris II. *Synodus* Turonensis *quæ* Berengarium *tanquam rectè sentientem dimisit.* IX. Nicolaus II. *Papa novam indicit Synodum contra* Berengarium, *Cui iniqua atque stupenda Recantatio injuncta est.* X. *Glossæ Ordinariæ*

Censura

Censura de istâ Berengario *præscriptâ Recantatione.* XI. *Quam per vim & metu mortis sibi extortam fuisse dixit.* Lanfrancus & Guitmundus *contra eum scribunt.* XII. Hildebrandus *Papa, & ejus Concilium* Romanum: *ad quod* Berengarius *iterum vocatus est & frustrà condemnatus.* XIII. *S.* Bernardi *Doctrina approbata.* XIV. Ruperti *Sententia.* XV. *P.* Lombardus *de Transubstantiato Pane nihil definire potuit, & de Accidentibus Panis sine Subjecto miserabiliter philosophatur.* XVI. Otho Frisingensis *& ejus Cœtanei Panem & Vinum in Eucharistiâ vera manere fatentur.* XVII. *P.* Blesensis *& St.* Eduensis *notantur, qui primi omnium* Transubstantiationis *Vocabulum usurpârunt.* XVIII. *Seculum XIII. in quo* Innocentius III. *Papa, Decretum suum de Transubstantiatis Pane & Vino in Corpus & Sanguinem Domini publicavit.* XIX, & XX. Innocentii III. *mira arrogantia. Synodus* Lateranensis *de hoc Articulo nihil decrevit.* XXI. *Ejusdem* Innocentii *Crudelitas, qui per Carnificinas & Vivicomburia novam fidei suæ doctrinam stabilire voluit.* XXII. Gersonis *Dictum de* Romanâ *illius temporis*

poris Ecclesiâ. Multa figmenta è Transubstantiatione orta. Quæstiones portentosæ & inextricabiles. XXIII. *Monachorum Novi Ordines & Scholastici.* XXIV. *Eorum Altercationes & disputationes abominandæ.* XXV. *Sacramentum indignissimè tractatum ab eis, qui illud in proprium Corpus Christi Transubstantiatum crediderunt.* XXVI, & XXVII. Holkot, Aquinas, Albertus *magnus, & alii Scholastici, quamvis pro Transubstantiatoribus aliquando non faciant, omnia tamen ad Papæ* Romani *judicium referunt.* XXVIII. *Synodus* Constantiensis, *quæ Poculum Laïcis abstulit.* XXIX. *Card.* Cameracensis *Transubstantiationem ex S. Literis probari posse negat.* XXX. *Synodus* Florentina & Eugenii IV. *Instructio Armenorum notantur.* XXXI. *Anathema Papale in Synodo* Tridentinâ *nulli formidandum. Conclusio Operis.*

I. SUperiùs demonstravimus, usque ad Annum Millesimum, gangræ-nam *Transubstantiationis* Ecclesias Christi nondum depavisse. Evolutis demum mille Annis, cùm de carcere suo solutus esset qui Gentes seduceret, &

Caſtra Sanctorum circumiret, magno Eccleſiæ, & tum Religionis tum Pacis Chriſtianæ malo, contra clarum, perpetuum, & univerſalem hunc Patrûm Conſenſum, palam hinc inde diſputare cœperunt, & novam ſententiam defendere. Notum eſt Hiſtoriarum non ignaris, qualia fuerint illa tempora, qualeſque tum *Romanam* Eccleſiam rexerint Epiſcopi, *Silveſter II*, *Johannes XIX*, & *XX*, *Sergius IV*, *Benedictus VIII*, *Johannes XXI*, *Benedictus IX*, *Silveſter III*, *Gregorius VI*, *Damaſus II*, *Leo IX*, *Nicolaus II*, *Gregorius VII*, ſive *Hildebrandus*; qui gravi Schiſmate, feralibus bellis, & immenſis Cædibus Eccleſiam Romanam dilaniârunt. Eò enim tum a Pontificatus devenerat, ut qui plus ambitione & largitione, non ſanctitate vitæ & doctrinâ, valeret, is tantummodo illius dignitatis gradum, bonis omnibus oppreſſis & rejectis obtineret.

a *Card.* Baron. *Annal. Tom.* X. *an* 897. §. 4. Gilb. Genebr. *Chron. ſub initium Seculi X.*

II. Iſto infœlici Sæculo ſcindebantur inter ſe Viri Docti, circa Præſentiam Corporis Chriſti in Euchariſtiâ; aliis Veteris Eccleſiæ Doctrinam, aliis Sententiam nuper admodum exortam defendentibus.

III. *Ful-*

III. *Fulbertus Carnotenſis* Epiſcopus fuit Præceptor *Berengarii* proximè nominandi. Quàm conſona fuerit Doctrinæ Veteris Eccleſiæ Sanctiſſimi hujus Epiſcopi Sententia, liquidò conſtat ex illius Epiſtolâ ad *Adeodatum*; in quâ inter alia docet, [b] *Myſterium fidei non viſu corporeo, ſed ſpiritu mentis in Euchariſtiâ intuendum. Quod enim Subſtantia Panis & Vini apparet exteriùs jam Corpus & Sanguis Chriſti fit interiùs; non quòd ore diſcernitur, ſed quòd affectu interiore deguſtatur. Exere igitur* (inquit) *palatum fidei, dilata fauces Spei, Viſcera Charitatis extende, & ſume Panem Vitæ, interioris hominis alimentum.* Iterum, *de Fide interioris hominis procedit divini guſtus ſaporis; dum certè per ſalutaris Euchariſtiæ infuſionem influit Chriſtus in viſcera animæ ſumentis.* Quæ omnia clariſſimè dicta ſunt contra eos, qui Chriſtum in hoc Myſterio corporaliter in os & ventrem hominum intrare nimìs craſsè docuerunt.

Fulbertus *Epiſc.* Carnotenſis, *A.*1010.

b *Epiſt. ad* Adeodatum *inter alia ejus Opera impreſſa* Pariſiis, *A.*1608.

IV. Præceptorem ſequutus eſt Diſcipulus *Berengarius*, Eccleſiæ *Andegavenſis* in *Galliâ* Archidiaconus, quem Virum Sanctimoniâ vitæ & Doctrinâ præſtantem fuiſſe, teſtantur *Platina*, *Vincentius Bergomenſis*, & alii quamplurimi.

Berengarius *Archid.* Andegav. 1030.

Illustre verò ejus Encomium ab *Hildeberto Cænomanensi* Episcopo (Viro itidem doctissimo) illâ ætate conscriptum, in Literas sic retulit *Gulielmus* noster *Malmesburiensis* c;

c Gul. Malmesb. *de Gestis Regum* Anglorum, *lib.* 3.

Quem modò miratur semper mirabitur Orbis
Ille Berengarius *non obiturus obit.*
Quem Sacræ Fidei fastigia summa tenentem,
Hunc jam quinta dies abstulit ausa nefas.
Illa dies damnosa dies & perfida mundo,
Quâ dolor & rerum summa ruina fuit;
Quâ Status Ecclesiæ, quâ Spes, quâ Gloria Cleri,
Quâ Cultor Juris, Jure ruente ruit.
Vir Sacer & Sapiens, cui nomen crescit in horas,
Quo minor est quisquis Maximus est Hominum;
Vir Sacer à Puero, qui quantò præeminet Orbi
Fama, tantò famæ præeminet ipse suæ.
Fama minor meritis, quum totum pervolet Orbem,
Cùm semper crescat, non erit æqua tamen;
Vir verè Sapiens, & parte Beatus ab omni,
Qui Cœlos Animâ, Corpore ditat Humum;
Post Obitum secum vivam precor, ac requiescam,
Nec fiat melior Sors mea Sorte suâ.

Fuit autem *Berengarius* non solùm *Andegavensis* Archidiaconus, sed ejusdem Ecclesiæ Scholasticus [d *Quem honorem quisquis habet, Academiæ Cancellarius est; Scholastici enim munus erat in maximis*

a Thevetan. *Vit. Illustr. Vir.* l. 3. c. 62. d Pap. Masson. *Annal.* Franc. *lib.* 3.

maximis Ecclesiis Clerum docere, & sanâ doctrinâ instruere] Quæ omnia eò copiosiùs adscribere volui, ut inde manifestum cuivis esset, quantis eum injuriis, putidisque calumniis, onerârunt Scriptores nuperi, quales erant [e] *Johannes Garetius Lovanienſis*, & [f] *Gulielmus Alanus Anglus*, & alii, qui Virum Celeberrimum non tantùm Erroris & Hæreseos insimulant, sed etiam velut *hominem indoctum & nullius eruditionis* traducunt.

[e] Garet. *de Verâ præsent. in Ep. nuncup. & Cles. 5. A. 1040.*

[f] Alan. *de Euch. lib. 1. c. 21.*

V. *Berengarius* verò eam quam ante annos CLXX. ex Scripturis Sanctisque Patribus, in eodem *Galliæ* Regno, *Bertramus*, *Johannes Erigena*, aliique aliis in locis tradiderant, sententiam acriter propugnavit contra illos qui nec Panem nec Vinum post Consecrationem ampliùs in Eucharistiâ supereſſe docebant: Nequaquam autem vel sensit vel docuit (quod multi tamen contra manifestam veritatem ei affingere non verentur) nihil aliud in Cœnâ Domini à fidelibus percipi, quàm Nuda Symbola, sive Panem duntaxat & Vinum; Sed credidit & apertè docuit, quemadmodum S. *Augustinus* aliique fidelissimi Ecclesiarum Doctores ex infallibili Dei Verbo tradiderant, Credentium animas

Vero Corpore & Sanguine Domini in hoc Myſterio refici ad vitam æternam. Interim aut Subſtantiam Panis & Vini aboleri, aut in Verum & Naturale Corpus Chriſti ſubſtantialiter tranſmutari, aut ipſum è Cœlo Chriſtum Carnaliter deſcendere (id quod alii eo tempore docere, & Eccleſiis obtrudere primò incipiebant) nec ſentire nec docere voluit. Libri integri, quos in hâc causâ ſcripſit ab hoſtibus ejus ſuppreſſi & exterminati, hodie non habentur. Quæ tamen apud infenſiſſimum illius Adverſarium *Lanfrancum* ejus verba ſuperſunt hîc ſubjicio; g *Per Conſecrationem Altaris, Panis & Vinum fiunt Sacramentum Religionis; non ut deſinant eſſe quæ erant, ſed ut in aliud mutentur & fiant quæ non erant*; Planè ad mentem S. *Ambroſii*. Iterum; *Sacrificium Eccleſiæ duobus conſtat* (ad mentem hoc S. *Irenæi*) *Viſibili Sacramento, & Inviſibili Re Sacramenti, id eſt, Corpore Chriſti.* Item; *Panis & Vinum quæ conſecrata ſunt, in ſubſtantiis ſuis permanent, ſimilitudinem habentia earum rerum quarum Sacramenta ſunt; nam aliter omnino Sacramenta non eſſent.* Rurſus; *Sacramenta ſunt Viſibilia rerum Divinarum Signacula, ſed res ipſæ inviſibiles in eis honorantur.*

g *Extant apud* Lanfr. *de Veritate Corp. Domini in Euchar.*

Planiſ-

Planissimè itidem ad mentem S. *Augustini*, aliorumque Veterum Patrum, quos supra citavimus.

VI. Nequaquam igitur hâc suâ doctrinâ Christi Corpus è Sacramento excluſit, sed Sacramentum in legitimo ejus usu cum Re Sacramenti conjunxit; & Corpus Christi non Ore & modo Carnali, sed Spiritu, mente, & animâ manducari docuit. Nec solus tum *Berengarius*, hanc Orthodoxæ Vetustatis sententiam defensitavit. Constat enim ex *Sigiberto* h, *Gul. Malmesburiensi* i, *Matth. Parisio* k, & *Matth. Westmonasterienſi* l, *Omnes fere hujus temporis* Gallos, Italos, & Anglos *eidem sententiæ adhæsisse*, *multumque à multis & verbis & scriptis pro eâ disputatum esse*; inter quos numeratur *Bruno* m, ipse tum Episcopus ejusdem *Andegavensis* Ecclesiæ. Id verò ægrè audiunt Pontificii, qui ne horum Scripta ad Posteritatis notitiam pervenirent, sedulò dederunt operam; & *Berengarii* doctrinam, à Veteribus acceptam, multisque nobilissimis Gentibus defensam, in uno aut altero Orbis angulo latitâsse scriptitant.

h Sigiberti *Chron. à Miræo editum.*

i Malmesb. *in Continuat. Bedæ.*

k Matth. Pariſ. *in hiſt. majori ad an.* 1087.

l Matth. Weſt. *ad eundem annum.*

m Baron. *ad Ann.* 1035. §. 1. 6.

VII. *Romanorum* autem Pontificum primus qui *Berengario* se opposuit, fuit *Leo IX*[n], Vir quidem simplex, sed *Humberti* & *Hildebrandi* consiliis aurem nimis facilem præbens. Is simul ac rogatus fuit, statim cum suis in *Berengarium* absentem & inauditum [o] Sententiam Excommunicationis promulgavit, & non multò pòst Synodum quandam *Vercellis* coegit, in quâ *Johannes Erigena* unà cum *Berengario* damnati sunt [p]; atque eo nomine damnati, quasi Panem & Vinum in Eucharistiâ Nuda tantùm Signa esse asseverârent [q]; quod tamen ab eorum sensu & fide maximè erat alienum. Iste igitur *Leonis* rugitus *Berengarium* non terruit. Quin & [r] *Gallicanæ* etiam Ecclesiæ, Pontifici *Romano*, ac *Vercellensi* Synodo passim contradicebant, & Veritatem unà cum *Berengario* oppressam palam propugnabant.

VIII. *Leoni* successit *Victor* Papa II. qui cùm Prædecessoris sui fulmine *Berengarium* opprimi non posse videret, misso in *Gallias* Lægato suo *Hildebrando*, apud *Turones* Synodum alteram collegit, quò vocatus *Berengarius*, libenter illico comparuit; & postquam nullam se præter communem Ecclesiæ sententiam de Eucharistiâ fovere dixit, Panemque & Vinum

n *Anno* 1050. *Concil.* Vercel. *sub* Leone *Papâ IX.*

o Lanfrancus *in lib. citato.*

p *Scilicet post mortem hominis innocentissimi Annos fere ducentos.*

q Adelmanus *in Ep. ad* Bereng.

r *Quales erant* Redonenses, Andegavenses, Leonenses, Dolenses, Maclovienses, *&c.*

Anno 1055. *Concilium* Turonense *sub* Victore Papâ II.

Vinum in Sacrificio Ecclesiæ meras tantùm umbras ac figuras vacuas esse negavit, idque propriæ manûs subscriptione confirmavit, dimissus est. Non enim Sententiam suam abjecit (ut recentiores perhibent Pontificii) sed eam perinde ac priùs defendit & docuit, quemadmodum *Lanfrancus* de ipso narrat.

Vide autem Cavi Hist. Liter. I. Goo. II. 350.

IX. Non sic tamen conquiêvere ejus Adversarii, quin *Nicolaum Papam II.* qui in locum *Victoris* (interveniente paucis mensibus *Stephano X.*) absque *Cæsaris* Consensu sufficctus erat, eo adegerunt ut novam Synodum contra *Berengarium Romæ* indiceret. Cùm enim Modum Præsentiæ (quem illę planè crassum, & Christo indignum, in Eucharistiam invehere cœperunt) recipere *Berengarius* repudiaverit, & ut priùs docuerit Christi Corpus non adesse eo modo, ut pro hominum libitu condi, promi, & in Ventrem sumi, in terram abjici, pedibus conculcari, à bestiis arrodi & devorari posset; illi prorsus eum negavisse *ullo modo* adesse calumniati sunt. Ad imperata *Romani* Pontificis exequenda adfuerunt Synodo CXIII. Episcopi. Adfuit & ipse *Berengarius*, *eique in dicendo copiosissimo* (verba sunt *Sigonii*, s & *Leonis Ostiensis* t) *cùm nullus valeret*

Anno 1058. *Concilium* Romanum *sub* Nicolao Papâ II.

Anno 1059.

s *De Regn.* It. *lib.* 9. *A.* 1059.

t *In Chron.* Cassin. *l.* 3. *c.* 33.

valeret obsistere, tandem Albericus *quidam Monachus* Cassinensis, *Cardinalis à* Stephano *Papâ constitutus, ad Synodum evocatus est; & postquam septem dierum spatium ad Responsum Scripto edendum poposcerat, Chartam suam attulit adversus* Berengarium. (Sed rationes & Argumenta, quibus ad convincendam ejus Sententiam usus est, non extant) qui protinus absque ulteriori processu [u], recantare jussus est ad modum ab *Humberto* Cardinali conscriptum, qui sic se habuit. *Ego Berengarius*, &c. [x] *Consentio Sanctæ Romanæ & Apostolicæ Sedi, & ore ac corde profiteor, de Sacramentis Dominicæ Mensæ, eam fidem me tenere, quam Dominus & Venerabilis Papa* Nicolaus, *& hæc S. Synodus, authoritate Evangelicâ & Apostolicâ tenendam tradidit mihique firmavit; scilicet Panem & Vinum quæ in Altari ponuntur, post Consecrationem non solummodo Sacramentum, Symbolum, sive Figuram, sed etiam Verum Corpus & Sanguinem Domini Nostri Jesu Christi esse* (hactenus non malè, quæ verò sequuntur horrida nimis sunt & ab ipsis Pontificiis improbata) *& Sensualiter non solùm Sacramento, sed Veritate, manibus Sacerdotum tractari, frangi, & fidelium dentibus atteri.*

u Baron. *ad Ann.* 1059. §. 18.

x *Habetur apud* Gratian *de Consecr. dist.* 2. c. 42.

(2) Rogers's 17 Sermons &c. p. 392.
(1) Pierce's Prim. rule of Reform. p. 25.

atteri. Sunt enim hæc præscriptæ Recantationis verba quæ *Berengario* tradita, & ab eo primùm rejecta, tandem per Carcerem, minas, mortisque metum ab illo extorta sunt y.

y *Pap.* Masson. *Annal.* Franc. *lib.* 3.

X. Integra verò istius Professionis præscriptæ & extortæ formula habetur, tum apud *Lanfrancum* a & *Algerum* b, tum apud *Gratianum* c; ad quam tamen *Gratiani* Glossator *Johannes Semeca* hæc annotavit; d *Nisi sanè intelligas Verba* Berengarii (rectiùs dixisset Verba *Nicolai* Papæ & Cardinalis *Humberti*) *in majorem incides hæresin quàm ipse habuit* e; Berengarius *enim ibi Hyperbolicè locutus est & veritatem excessit.* Similiter *Richardus* de *Mediavilla*; f Berengarius *infamatus purgavit se per verba excessiva.* Sed is Excessus non tam *Berengario* imputandus quàm illis qui præscripserunt. De Transubstantiatione tamen nihil hîc audimus.

a *Sub Libri quem contra* Bereng. *scripsit initium.*
b *Lib.* 2. *c.* 15.
c *Ubi suprà.*
d *In C.* Ego *Bereng.* de Consˉ. *dist.* 2.
e *In c.* Utrum sub figura 72.
f *In* 4. *dist.* 9. *princ.* 1. *q.* 1.

XI. Præsenti tandem periculo liberatus *Berengarius*, sibi verò malè conscius ob negatam veritatem, resumit animum, & suam ipsius Revocationem non minùs absurdam quàm impiam Scripto edito refutavit, *eamque per vim sibi extortam esse* dixit *ab Ecclesiâ Malignantium & Vanitatis Concilio.* Huic contrarium

rium Scriptum oppoſuit *Lanfrancus Cadomenſis*, tum Præfectus Monaſterii in *Galliâ*, poſtea in *Angliâ* Archiepiſcopus factus *Cantuariæ*, & eodem tempore *Guitmundus Averſanus* rem inculcavit. Etſi verò dubium non ſit, quin *Berengarius*, aliique permulti, qui à partibus ejus ſteterunt, his & ſimilibus Libellis reſponderint, quæcunque tamen ſcripſerunt ab illorum Adverſariis ſuppreſſa ſunt, paucis duntaxat exceptis, quæ apud *Lanfrancum* legimus. Sed optandum eſſet, ut *Berengarii* hominis doctiſſimi, & antiquæ Veritatis tenaciſſimi, Libros integros haberemus, ex quibus certiora cognoſci poſſent, quàm ex eis quæ ab infenſiſſimis ejus hoſtibus narrantur.

Concilium Romanum *ſub* Hildebrando *Papâ, A.* 1079.

XII. Conquievit paululum Certamen hoc Sacramentarium propter Bellorum tumultus, quos *Nicolaus II.* Papa in *Apuliâ*, & alibi excitârat. Quamprimùm autem ac *Hildebrandus* Pontificatum occupâſſet, qui *Gregorius VII.* appellatus eſt, inſtauratum denuo recruduit. Nam ad Concilium *Romæ* habitum ſub iſto Papâ iterum evocatus eſt *Berengarius*; ubi, *Multis hæc, nonnullis illa ſentientibus*, (ut eſt in Actis hujus Concilii g ab Adverſariis ejus conſignatis) cauſa ejus non potuit

g *Excuſ. cum* Lanfranci *libro, & apud* Binium.

potuit ità opprimi, quin aliquot Epiſcopos aſſertores invenerit. Imò ipſe quoque Dux *Gregis Hildebrandus* dubitâſſe perhibetur, [h] *Si illud quod ſumitur in Dominicâ Menſâ eſſet reverâ (per Subſtantialem Converſionem) Corpus & Sanguis Chriſti.* Sed poſt inducias trium menſium [i] *Berengario* conceſſas & Jejunium Cardinalibus indictum, [k] *ut Deus per Signum aliquod de Cælo oſtenderet* (quod tamen minimè contigit) *quis rectiùs ſentiret de Corpore Domini,* Romanus *Pontifex, an* Berengarius, ad extremum res ipſa ſine Oraculo tranſigitur, & Nova Palinodiæ ſive Profeſſionis formula *Berengario* obtruſa eſt; quâ [l] *Panem illum Myſticum* (priùs in magicum [m] & divinatorium ab *Hildebrando* transformatum) *Subſtantialiter converti in veram* [n] *& propriam Carnem Chriſti* ſub graviſſimo Papæ præcepto deinceps confiteretur. Quod tamen an unquam fecerit, non adeò liquet. Quamvis enim à *Malmesburienſi* [o] traditum ſit, *eum in hâc fide Romanâ deceſſiſſe*, non deſunt [p] tamen (etiam *Malmesburienſi* Antiquiores [q]) qui dicant, *Nunquam illum à priſtinâ ſuâ Sententiâ fuiſſe converſum.* Sunt etiam qui referant, *Eum poſt ultimam hanc Condemnationem, abjecto Literarum*

h Engilb. *Archiep.* Trevirenſis *apud* Goldaſt. *Imper. Tom.* 1.
i Bertold. Conſtant. *Chron. A.* 1079.
k Benno *Cardinal. in vitâ* Hildebr.
l *Habetur iſta formula apud* Tho. Waldenſ. *Tom.* 2. *c.* 42. *& in Regeſt.* Greg. VII.
m Brixin. *Synod. Epiſc. apud Abb.* Uſperg. *in Chron. ad an.* 1080.
n *Addit formula præſcripta,* In proprietate naturæ.
o *De Geſt.* Angliæ *l.* 3. *c.* 58.
o *Et poſt eum* d *Vide autem ab aliis. Vide Cavi Hiſt. Liter. I.* Bell. *Chronol. Gol. II.* 365. *ad an.* 1079.
p Pegm. *Comment.* 31. *ad* 2. *part. direct. inquiſit.*
q Bertold. Conſt. *qui tempore* Berengarii *vixit ad an.* 1083.

rarum ſtudio, omnia pauperibus erogâſſe, & Victum manibus propriis ſibi quæſiviſſe[r]. Alia, quæ de eo retulerunt *Romana* Sedis Mancipia, fidem non merentur. Hæc facta ſunt, uti adnotavimus, Anno Chriſti ſupra Milleſimum Septuageſimo Nono. Interea verò *Berengarius* non multò pòſt moritur.

r Vincent. *in Spec. lib. 26. cap. 40.* Baron. *ad ann.* 1088. §. 15, *&c.*

XIII. Mortuo autem *Berengario*, non tamen unà cum eo (ut eſt in Chronico *Caſſinenſi*[s]) extincta eſt vera ejus de Sacrâ Cœnâ Sententia, & Doctrina à S. Scripturâ & antiquis Patribus recepta. Nam *Bernardus* Abbas *Clarevallenſis* qui poſt initium Sæculi XII. floruit, Veteris Eccleſiæ de Myſteriis Doctrinam conſtanter adhuc retinuit. In Sermone de Cœnâ Domini, *externam Sacramenti formam* ex verbis Inſtitutionis, & *Spiritualem ejus efficaciam* ex Concione Chriſti, [t] tanquam Corticem & Nucleum, ſive Sacramentum & Rem Sacramenti conjungit. Rurſus, volens ibidem explicare, Sacramenta non eſſe conſideranda, *ut Res abſolutas*, ſed ut Myſteria, in quibus Viſibili Signo dato, Inviſibilis Divinæ Gratiæ Corporiſque & Sanguinis Chriſti peragitur diſpenſatio, dicit; *Viſibile Signum eſſe velut Annulum, qui datur, non propter ſe &*

s *Chron.* Caſſin. *lib. 3. cap. 33.*

S. Bernardus, *A.* 1120.

Sermo de Cœnâ Domini.

t *S.* Joh. 6. 56. *& 63.*

& absolutè, sed ob delatæ alicujus hæreditatis possessionem & investituram. Multa (inquit) *fiunt propter se tantùm, alia verò propter alia designanda, & ipsa dicuntur & sunt Signa. Datur Annulus propter Annulum, absolutè, & nulla est significatio; datur etiam ad investiendum aliquem in hæreditatem, & Signum est: ità ut jam discere possit qui accipit Annulum: Annulus per se non valet quidquam, sed hæreditas est quam quærebam. In hunc itaque modum appropinquans Passioni Dominus de Gratiâ suâ investiri curavit suos, ut Invisibilis Gratia Signo aliquo Visibili præstaretur. Ad hoc instituta sunt omnia Sacramenta, ad hoc Eucharistiæ participatio.* Sicut autem nemo fingit Annulum in Res ipsas hæreditate possidendas, putà Terras aut Domos, Substantialiter conversum esse; sic etiam non nisi absurdè & falsò quis dixerit, Panis & Vini Sacramentum in Corpus & Sanguinem Christi Substantialiter transmutari. At in Sermone de Purificatione, qui pro indubitato habetur, apertiùs loquitur; *Quòd Christi Corpus in Mysterio Cibus Mentis sit, & non Ventris; proinde Corporaliter non manducatur: sicut enim Cibus est, ità & Comedi intelligitur.* Item de S. *Martino*, qui

Sermo de Pur. B. Mariæ.

Sermo de S. Martino.

qui itidem Sermo ejus indubitatus est; *Usque hodie* (inquit) *eadem Caro nobis, sed Spiritualiter utique non Corporaliter exhibetur.* Est enim certa quoque Veritas rerum Spiritualiter præsentium. Quod autem alibi dicit, *Sacerdotem tenere Deum in manibus suis*, Rhetorica amplificatio est; quemadmodum locutus est *Chrysostomus*, u *Adest Sacerdos gestans Spiritum Sanctum.*

u *Lib. 3. de Sacerdotio.*

Rupertus *Abbas, A.* 1125.

XIV. Eodem Sæculo Duodecimo floruit *Rupertus* Abbas *Tuitiensis*, & Scriptor suæ ætatis clarissimus; qui Panis Substantiam in Eucharistiâ, non converti, sed manere docuit. Verba ejus subjicio; *Totum* (inquit x) *attribuetis Operationi Spiritûs S. cujus effectus non est destruere vel corrumpere Substantiam quamcunque in usus suos assumit, sed Substantiæ bono permanenti quod erat invisibiliter adjicere quod non erat.* Addit equidem incommodam Opinionem de y Unione Panis & Corporis Christi hypostaticâ; sed il'a enata est: sicut etiam ejusdem ætatis aliæ, ex importunâ quâdam curiositate modum Præsentiæ & Conjunctionis cum Pane determinandi, circa quem nimis multò se torquet Vir suo ævo eximius. Interim Transubstantiationem nec docuit nec decrepit.

x *In* Exod. *lib. 2. cap.* 10.

y *Ex quâ consequebatur, Panem esse Corpus Christi, sed Corpus non humanum neque carneum, sed Panaceum.*

XV. Non

XV. Non admodum diu pòſt hâc de re Concertationes aliquot ab *Algero* Monacho & aliis excitatas, Libros Sententiarum congeſſit *Petrus Lombardus*, in quorum Quarto agit de Sacramento Euchariſtiæ, dictiſque nonnullis Veterum doceri exiſtimat; [z] *Subſtantiam Panis in Corpus, Vinique Subſtantiam in Sanguinem Chriſti converti.* At mox ſubjungit; [a] *Si autem quæritur qualis ſit illa Converſio, an formalis, an Subſtantialis, vel alterius generis, definire non ſufficio.* Nondum itaque tanquam Sententiam ex fide certam Tranſubſtantiationem habuit: imò in illâ ipsâ, tanquam opinione probabili, aſtruendâ non ſatìs ſibi conſtare, ſed fluctuare & prævaricatorem agere, dictiſque Veterum magìs cauſam ſuam oppugnare, quàm ſtabilire videtur. De Accidentibus verò remanentibus ſine Subjecto, & de Fractione Corporis Chriſti in partes (quemadmodum ex præſcripto *Nicolai* Papæ profiteri juſſus eſt *Berengarius*) mirabiliter atque equidem miſerabiliter philoſophatur.

P. Lombardus, *A.* 1140. *Sent. lib.* 4.

z *Diſt.* 10.

a *Diſt.* 11.

XVI. *Otho Friſingenſis* Epiſcopus, Vir non minùs pietate & doctrinâ quàm Nobilitate inſignis; (fuit enim *Henrici IV.* Imperatoris Nepos, *Henrici V.*

Otho Friſingenſis, *A.* 1145.

Sororius, *Frederici* Patruus, & *Conradi* Regis Frater *Uterinus*) eodem tempore floruit. Credidit autem & Scripsit, b *Panem & Vinum manere in Eucharistiâ*, sicut & alii non pauci ejusdem Coætanei.

b Christ. Agricola *in* Antipistor. p. 1.

XVII. Novum verò *Transubstantiationis* Vocabulum haud facilè quis inveniat ante hujus XII. Sæculi medium. Primùm enim occurrit apud *Petrum Blesensem* c, qui sub *Alexandro Papâ III.* vixit, & *Stephanum Eduensem* Episcopum d, cujus & Ætas & Scripta valdè incerta sunt. Quòd enim à recentioribus quibusdam e refertur ad Sæculum X. id sine Testimonio idonei alicujus Authoris ab eis factum est; uti f antea dicebamus.

An. Dom. 1180.

c *Epist.* 140.

d *De Sacram. Altaris in BB. Patrum.*

e *Card.* Bellarm. *& Possevin. de Scriptoribus.*

f *Cap.* V. *Num.* L.

XVIII. Subsecutum est Sæculum XIII. quum Mundo jam senescente, Religionis Status perturbatissimus esset, & Pontifex *Romanus* non solùm super Universam Ecclesiam, sed super ipsa etiam Imperia, ac Orbis totius Regna, tanquam in Solio Gloriæ, sese efferret. Enati tum sunt novi subinde Monachorum Ordines, à quibus contra Veteris ac purioris Ecclesiæ Sententiam, de multis quidem Religionis Capitibus, inter alia verò de Sacramento Corporis & Sanguinis Christi

An. Dom. 1215. Innocentius III. Papa.

Christi vehementissimè declamatum est. Neque aliud jam restabat, quàm ut nova Transubstantiationis Doctrina à Pontifice *Romano* confirmata, toti Christiano Orbi sic obtruderetur, ut nemini contrà mutire liceret. Id præstitit *Innocentius III. Papa*, qui 30 Annorum *Juvenis*, *Cœlestino III.* substitutus est, vestigiis *Hildebrandi* Pontificis strenuè insistens, & Synodum *Romæ* satis numerosam in *Laterano* convocans, primus omnium hoc nuperrimè excogitatum Transubstantiationis Dogma, tanquam Fidei Articulum necessariò credendum, suâ tantùm autoritate statuere ausus est. *Synodus Laterana.*

XIX. Quantum sibi tribuerit, qualeque fuerit hominis ingenium, & quæ studia, ex his, quæ subjicio, cuilibet æstimare in promptu erit; *Mihi* (inquit g) *dicitur in Prophetâ, Constitui te super Gentes & Regna, ut evellas, & destruas, & dispergas, & dissipes, & ædifices, & plantes. Mihi quoque dicitur in Apostolo, Tibi dabo Claves Regni Cœlorum. Sum enim inter Deum & Hominem medius constitutus, citra Deum, sed ultra hominem; imò major homine, qui de omnibus judicem, à nemine verò judicari possim. Annon Ego* h *Sponsus sum* i, *& quilibet Vestrûm Amicus Sponsi?* g Innoc. 3. *Serm.* 2. h *Idem Serm.* 3. i S. Joh. 3. 29. *verba illa Baptistæ sibi assumens.*

Utique Sponsus, quia habeo Sponsam nobilem, divitem & sublimem, Sacrosanctam Romanam *Ecclesiam, quæ cunctorum fidelium mater est ac magistra, & dotem mihi tribuit absque pretio pretiosam*[k], *Spiritualium videlicet plenitudinem, & latitudinem Temporalium, magnitudinem & multitudinem utrorumque* ——. *Fecit Deus* [l] *Duo magna Luminaria in firmamento Cœli; Fecit etiam Duo magna Luminaria in firmamento Universalis Ecclesiæ, id est, Duas instituit Dignitates, quæ sunt Pontificalis Autoritas, & Regalis Potestas. Sed illa quæ præest Diebus, id est, Spiritualibus, major est; quæ verò Carnalibus, minor; ut quanta est inter Solem & Lunam, tanta inter Pontifices* (Romanos) *& Reges differentia cognoscatur.* Hæc ille, Christi jam factus non Vicarius modò, sed etiam Rivalis: Quæ nunc commemoro, ut videamus qualis fuerit rerum conditio, & *Latinæ* Ecclesiæ facies, quando Transubstantiatio pro fidei Articulo ab *Innocentio Papâ* proposita est & obtrusa; quemadmodum vir doctissimus D. *Georg. Calixtus*, Scriptor omni laude ac imitatione dignus, hæc omnia de *Innoc.* 3. [m] plenissimè declaravit & prosequutus est.

k *Addit*, Multæ filiæ congregaverunt divitias, hæc autē sola supergressa est universas.

l *Epist. ad Imp.* Constantinop. *Extrà, de Majorit. & Obed. c.* 6.

m *Exerc. de* Transubst.

XX. Is

XX. Is igitur *Innocentius* qui, ut Auctoritatem ſuam extolleret, *Philippum* Imperatorem vexavit, *Othonem IV.* Imperio ſpoliavit, & *Johannem Angliæ* Regem impulit, ut & *Angliam* & *Hiberniam* in manus ejus traderet, ac *Romano* Pontifici Vectigales faceret; Quique ſub Umbone Spiritualium arbitrium rerum Terrenarum, imò ipſarum Terrarum, ſibi vindicavit; Qui denique, *ſuper omnes mortales, Ambitioſus & Superbus, pecuniæque Sititor inſatiabilis* (Verba recito *Matthæi Pariſienſis* n) *& ad omnia Scelera pro præmiis datis vel promiſſis cereus & proclivis fuit*; Is (inquam) in *Lateranenſi* ſuo Concilio Tranſubſtantiationem pro fidei Articulo habendam propoſuit, & poſtquam o à Concilio ut decerneretur obtinere non potuit, proprio imperio contra quod nemo vel hiſcere audebat, ſtabilitum ivit. Qui enim ſub illius Concilii nomine hodie extant & jactitantur Canones, Concilii non ſunt; ſed Decreta tantùm *Innocentii* Papæ, ab ipſo primùm conſcripta, & p in eodem Concilio recitata, ubi cùm multis diſplicerent, poſtea ab ejus Nepote *Gregorio* Nono, in Libros Decretalium ſub certis Titulis redacta.

n *In Hiſtor. d* Joh. *Regis Angliæ.*

o Matth. Pariſ. *in Hiſt. minori.* Platina *in vitâ* Innocentii 3.

p *Verba* Matth. Pariſ. *in Hiſt. majori, ad an.* 1215.

Extr. de fide & Sum. Trin. c. firmiter credimus.

XXI. Idem verò Pontifex, postquam Hæreticos esse pronunciavit quicunque deinceps, *Christi Corpus & Sanguinem in Sacramento Altaris, sub Speciebus Panis & Vini, Transubstantiatis Pane in Corpus & Vino in Sanguinem, veraciter contineri* negaverint; eosdem omnes, cujuscunque tandem dignitatis aut officii sint, q *Secularibus Potestatibus animadversione debitâ puniendos*: id est, Cremandos tradit, in Suspectos inquiri jubet, receptores & fautores eorum infames, intestabiles, atque hæreditatum & officiorum omnium incapaces esse judicat; & reliquos Christianos adversus eos extimulat. Porrò jubet, r *per Censuram Ecclesiasticam compelli Sæculares Potestates, ut pro defensione (hujus) fidei, publicè Juramentum præstent, quòd de Terris suis Universos Hæreticos ab Ecclesiâ* (Romanâ) *denotatos exterminare studebunt. Si verò* (inquit) *Dominus temporalis hoc neglexerit, excommunicetur; & si satisfacere contempserit infra annum, significetur id Summo Pontifici, ut Ipse Vasallos ab ejus fidelitate denuntiet absolutos, & Terram suam exponat Catholicis* (Romanis) *occupandam, quam Exterminatis Hæreticis* (h.e. Transubstantiationem non credentibus) *sine ullâ*

q *Ibidem.*

r *Ibidem.*

ullâ contradictione possideant, &c. Atque in hunc modum *Innocentius* Tertius per Excommunicationes, Exercitus, Rebelliones, Carnificinas, & Vivicomburia Novum fidei suæ Dogma stabilire voluit.

Transubstantiatio *quibus modis stabilita.*

XXII. Nisi autem iis artibus & machinis usus fuisset, ne illi quidem qui *Romanæ* Ecclesiæ adhæserunt, eam Doctrinam admisissent. Nec sic enim ità obtinuit, quin multos subinde & magnos habuerit Contradictores. Imò non solùm Transubstantiationem, sed ipsam etiam Ecclesiam (rectiùs dixero Curiam) *Romanam*, quæ, si *Gersonem* Cancellarium *Parisiensem* audimus[s], hoc tempore, *tota brutalis, & carnalis, & nihil fere sapiens fuit de his quæ Dei sunt*, à quamplurimis repudiatam esse nemo non novit. Et profectò, positâ semel Transubstantiatione, compluribus Superstitionibus & Erroribus fundamentum substratum est, quos homines Deum timentes nequaquam probare aut ferre potuerunt. Quin & inter ipsos Transubstantiatores excrevit Sylva multarum inextricabilium & portentosarum quæstionum, quibus ità se fatigabant illi, quos Scholasticos appellamus, ut rectè affirmari possit, enatam

A multis unà cum Curiâ Romanâ *rejecta.*

[s] Gerson. *de Conc. Gener.*

Transubstantiatio *multorum Errorum fundamentum.*

tunc esse de Sanctissimâ Eucharistiâ & adoratione Hostiæ Theologiam prorsus novam (imò monstrosam) & Veteribus omnibus inauditam. Neque etiam minùs creverunt illusiones malæ, falsa miracula, visiones confictæ, somnia fraudulenta, atque alia Christianâ fide indigna, de Corporali Præsentiâ Christi Figmenta. Nempe, ætate istâ, alius in Hostiâ vidit Puerum, alius Carnem, alius Sanguinem, & quicquid tandem vanissimis Superstitiosorum hominum mentibus occurrebat. *Unus* t, *instante morte, quia nil retinere poterat, Corpus Christi recipere non audebat; sed quum nudato pectore, & brachiis expansis, adoratum illud approximâret, Hostia prosiliens de manu Sacerdotis, factâ aperturâ, sponte intravit in locum ubi Cor hominis moribundi latuit, & absque omni cicatricis vestigio reclusus est locus, sicque recumbens spiritum reddidit.* *Alius* u, *quum mori deberet, petiit sibi latus suum lavari, & panno mundissimo Corpus Christi suprà poni. Quo facto, pannus paulatim Corpori Christi cessit, & mox ut idem Corpus nudam hominis cutem tetigit, usque ad Cor ejus, cunctis videntibus, penetravit.* Narrant etiam, seu potiùs fabulantur, *Quomodo posito Corpore Christi* (hoc est, Pane Consecrato,

Superstitiones & figmenta è Transubst. enata.

t Tho. Walsing. *in hypod. neustr. ad An.* 1218.

u *Discip. de temp. Serm.* 80.

secrato, hunc enim Corpus Christi vocant) *in dolio super avenâ, Equus, Bos, & Asinus genua flectentes, Dominum in hostiâ adoraverunt.* Hæc & similia innumera tum fingi cœperunt; talis etiam fingendi temeritas & audacia ad Posteros derivata est. Id quod ex ipsius Cardinalis *Bellarmini* Scriptis x, Serenissimus *Angliæ* Rex *Jacobus* notavit, *de Equâ quâdam devota, & Hostiam (quam scivisset ritè Consecratam, ac certò Transubstantiatam) de geniculis adorante. Cæsarius* Monachus, qui hoc ipso tempore, & paulò post *Innocentium III.* vixit, pleraque hujusmodi Miracula commemorat. A quo tamen recitatur Historia, quæ Transubstantiationem usque ad hos dies, etiam literato Sacerdoti & illustris Ecclesiæ Canonico penitus ignotam fuisse ostendit. *Coloniæ* (inquit) *Canonicus quidam extitit, ordine Sacerdos, nomine Petrus. Cùm die quâdam unus ex ejus Concanonicis infirmus, eo præsente, esset communicaturus, & ei Sacerdos (celebrans) diceret, Credis hoc esse Verum Corpus Domini quod natum est de Virgine? illeque responderet, Credo, præfatus* Petrus *utrorumque verba notans expavit. Postea solus conveniens* Everhardum *Scholasticum Ecclesiæ, qui & ipse Commu-*

x *Card.* Bell. *Apolog.* q. 132.

Communioni intererat, ait ei, Nunquid interrogavit Sacerdos infirmum illum bene? Et respondit ille, Etiam bene, inquit; qui enim aliter credit, Hæreticus est y. *Tunc Petrus ejulans, pectusque tundens, exclamavit dicens; Væ mihi misero Sacerdoti! quomodo hactenus Missas celebravi? Nam usque ad hanc horam putabam Speciem Panis & Vini post Consecrationem tantùm esse Sacramentum, id est, Signum & Kepræsentationem Dominici Corporis & Sanguinis.*

y *Sic enim decrevit* Innocentius III.

Novi Monachorum *Ordines.*

XXIII. Paulò antè dicere cœperamus, in *Romanâ* Ecclesiâ enatas esse unà cum novâ istâ Transubstantiationis Doctrinâ, novas Monachorum Sectas; quæ sanè brevi admodum tempore in immensum creverunt. Jam enim Ordini Dominicanorum (quos Inquisitores suos ad occidendos & cremandos Hæreticos z *Innocentius III.* instituerat) Franciscanorum mendicantium Ordo accessit: *Augustiniani* etiam *Eremitæ* restaurati sunt, & Ordo *Carmelitarum.* Ex his enati sunt qui hodie vulgò *Scholastici* solent appellari, Studiis, qualia quidem eo tempore erant, & Commentariis in Magistrum *Petrum Lombardum*, incumbentes.

z *Sic enim* Transubst. *negantes vocavit.*

Scholastici.

XXIV. Fati-

XXIV. Fatigabant se illi, uti diximus, portentosis circa Transubstantiationem Quæstionibus. Et quidem tales sunt, quales piæ aures audire prorsus abhorrent. Quærunt enim 1. An sit Corpus Christi illud, quod quandoque apparet in Specie Carnis vel Pueri in Altari, quodque in eâdem Specie Carnis adoratur; & respondent se nihil scire; *Quia hujusmodi apparitiones sæpe accidunt, & fiunt vel humanâ procuratione, vel fortè operatione Diabolicâ.* 2. An Mures (qui non bene obseratas Hostias sæpissime epulantur) comedant ipsum Christi Corpus? Vel, si Canis aut Porcus deglutiret Hostiam Consecratam integram, An Corpus Domini simul cum Specie non trajiceretur in Ventrem ejusdem Canis vel Porci? Et respondent quidem aliqui (aliis tamen aliter sentientibus) quòd, *licèt Corpus Christi non intret in os bruti, ut Cibus Corporalis, intrat tamen simul cum Specie, ratione inseparabilitatis unius ab alio* (nescientes quid dicant) *Quamdiu enim Species Panis persistit in esse suo vero, tamdiu simul & inseparabiliter persistit Corpus Christi; Unde,* [a] *si Species talis trajiciatur in Ventrem, vel ejiciatur per Vomitum, necessarium est, quòd & ipsum Corpus*

Quæstiones & Opiniones portentosæ.

Alex. Alens. *l.* 4. *q.* 53. *m.* 4. *a.* 1.

Idem q. 45. *m.* 1. *a.* 2.

[a] *Ibid.* 453. *m.* 3.

Corpus Domini ſimiliter trajiciatur atque ejiciatur: & ob hoc ſolent Animæ piæ (verba Scholaſticorum repeto) *frequenter partes Hoſtiæ ejectas per Vomitum cum magnâ reverentiâ iteratò ſumere.* Alii etiam reſpondent; b *Quòd animal brutum non Sacramentaliter, ſed per Accidens tamen Corpus Chriſti manducat; ſicut manducaret ille qui ſumeret Hoſtiam Conſecratam, neſciens eam Conſecratam eſſe.* 3. Quærunt de Hoſtiis mucidis & putridis, & quia Corpus Chriſti incorruptibile, & incomputribile eſt, ideo reſpondent; c *Verè hoc non fieri, ſed videri tantùm ità eſſe, quamvis ità non ſit; ſicut Chriſtus ſub Specie Hortulani apparuit, etiamſi Hortulanus non fuit.* 4. De Hoſtiis indigeſtis quærunt, & per Stomachum tranſeuntibus in Receſſum, de aliis projectis in Cloacam aut Lutum, An tales Hoſtiæ deſinant eſſe Corpus Chriſti? Reſpondent verò, d *quòd remanentibus Speciebus, inſeparabiliter etiam remanet Corpus Chriſti, licèt in Cloacam vel in Latrinam projiciatur.* Contrariam autem Opinionem dicunt non teneri, neque ſecurum eſſe, ut ab ullo teneatur. Pontifex enim e eam teneri ſub Excommunicationis pœnâ prohibuit. Addunt ergo recentiores Scho-

b Tho. Aq. *Sum. p. 3. q. 80. a. 3.*

c Alger. *l. 2. c. 1.*

d Thom. *in 4. diſt. 9. q. 2. a. 1.*

Brulif. *in 4. diſt. 13. q. 5.*

e Greg. *Papa XI.*

Scholastici, [f] *Si quis modò contrarium diceret, post determinationem Papæ, ab Ecclesia* (Romanâ scilicet) *condemnaretur.*: imò agnoscunt hanc Doctrinam, *ad Fidem pertinere*, de quâ nemini dubitare licet, *quia contraria per* Gregorium XI. *damnata est.* 5. De Accidentibus quærunt, An sit ibi Corpus Christi sub Accidentibus, remotâ inhærentiâ? Contra Logicam. An ex Accidentibus Mures nutriantur, ac ex iis Vermes generentur? Contra Physicam. 6. An simul & eodem momento Corpus Christi sursum & deorsum moveatur? elevante scilicet Hostiam Sacerdote uno, demittente verò altero. Et nescio quot aliæ eos spinosæ quæstiones exercuerunt; circa quas ità tota Schola languet, & in tantas angustias conjecta est, ut ex iis nullo modo se expedire possit. Et quidem Rei Christianæ plurimùm profuisset, si ut Antiqui Patres Rem Transubstantiationis non attigerunt, ità Posteri nequidem de Nomine ejus unquam inaudiissent. Deus enim fecit Sacramentum suum *Rectum & Simplex* (sicut & *Hominem* [g];) *ipsi verò* (Scholastici & Transubstantiatores) *illud infinitis miscuerunt Inventionibus.*

[f] Soto *in* 4. *dist.* 12. *q.* 1. *a.* 3. Vasq. *in* 3. *disp.* 195. *cap.* 5. *Direct. Inquis. p.* 1. *n.* 15. & *p.* 2. *q.* 10.

[g] *Eccl.* 7. *x. ult.*

XXV. Porrò,

Hostiæ Judæis, Magis, & Turcis *traditæ.*

XXV. Porrò, ipsa hæc Transubstantiatio hominibus impiis & flagitiosis occasionem præbuit, Corpus quod vocabant & credebant esse Corpus Christi, diris & indignis modis tractandi. Neque enim desunt Exempla malorum quorundam Sacerdotum, qui Hostias suas Consecratas Judæis & Sortilegis (à quibus vel confossæ, vel crematæ, vel ad magicas incantationes peragendas adhibitæ sunt) turpi lucro dediti vendidêre. Quin & Turcis aliquando, atque Saracenis h eandem Hostiam Ecclesiastico ritu sacratam, in pignus fidei & pacis civilis observandæ, profano quidem consilio, ab ipso etiam Sancto *Ludovico* traditam esse legimus. Quis verò, qui talia abominanda esse intelligit, sibi persuadere aut credere possit, Christum Dominum in suâ Ecclesiâ Sanctissimi sui Corporis ejusmodi Præsentiam voluisse instituere, per quam Ipse, vel suum Corpus, posset in manus infidelium *Judæorum* & *Turcarum* tradi, in Ventres brutorum Canum & Murium ingeri, per Vomitum & Secessum ejici, in Ignem, Lutum, Sterquilinia, & Latrinas conjici, denique Sortilegiis & Incantationibus adhiberi? Taceo cætera, nam & hæc horresco referens.

h Leuncl. *de reb.* Turc. n. 116.

XXVI. Mi-

XXVI. Mirum igitur non est, si per istam novam *Innocentii III.* Doctrinæ formulam, adeò fœdis absurditatibus, tetrisque facinoribus obnoxiam, *Paucis hujus Sæculi hominibus persuasum fuerit* (quod de suâ ætate scribit *Robertus Holkot* [i], qui inter Nostrates sub medium Sæculi XIV. vixit) *Corpus Christi esse realiter* (*aut Transubstantialiter*) *in Sacramento Altaris.* Attamen testatur ipse *Thomas Aquinas*, Quosdam sui etiam temporis credidisse, [k] *Quòd factâ Consecratione non solùm remaneant Accidentia Panis, sed Forma ejus Substantialis.* *Albertus* magnus *Thomæ* Præceptor, qui non admodum diu post *Innocentium III.* scripsit, de Transubstantiatione tamen, tanquam de Re tantùm Problematicâ, loquitur. Quin à pluribus disertè illam impugnatam & rejectam esse, nulli est dubium. Nondum enim *Tridentinum* Anathema Decreto *Laterano* succenturiatum erat.

i *In* 4. q. 3. *A.* 1350.

k 3. q. 75. *a.* 6.

XXVII. Reliqui verò Scholastici (præsertim Recentiores) qui in verba *Innocentii* Papæ juraverunt, sanè equidem magnificè, sed parùm solidè, &, Christum Dominum summâ afficientes injuriâ, in hunc modum solent procedere; [l] *Communis Opinio tenenda est, non*

l Th. Argent. *in* 4. *d.* 11. *q.* 1. *a.* 1. 2.

non propter aliquam rationem, ſed propter determinationem Pontificis Romani.

m Scot. *in* 4. *diſt.* 11. *q.* 3. Item; m *Principaliter, videtur movere, quod de Sacramentis tenendum eſt, ſicut tenet Sancta* Romana *Eccleſia. Nunc autem ipſa tenet, Panem tranſubſtantiari in Corpus, & Vinum in Sanguinem, ſicut manifeſtè habetur*, Extra. De fide & ſummâ Trinitate c. firmiter. Rurſus,

n Bacon. *in* 4. *diſt.* 8. *q.* 1. *a.* 2. n *Probo neceſſariò Panem converti in Corpus Chriſti. Nam oportet declarationem fidei tenere, quam* Romanus *Pontifex tenendam declarat.* Ità apud Pontificios, modò lubeat arroganti Papæ, qualis erat *Innocentius III.* Dogmata Fidei, S. Scripturis quantumvis contraria & priſcæ Eccleſiæ inaudita, & ex quibus talia deducuntur, & quidem neceſſariò deducuntur, quæ Chriſto ac Chriſtianâ Religione & Fide indigna ſunt, ſubinde creſcunt & augentur. Nam poſt *Innocentium III.* accrevit Fidei Romanæ per o determinationem Pontificis *Gregorii XI* p, quòd Corpus Chriſti in Ventrem Muris deſcendit, & in Cloacâ, aliiſque fœdis locis hoſpitatur, ſi Conſecratam Hoſtiam eò deferri contingat.

o *Ut ſuprà*, Num. XXIV.

p *Anno* 1371.

XXVIII. Sæ-

XXVIII. Sæculo XV. *Conſtantienſis* Synodus (quæ auſu ſacrilego Calicem Sacramentalem Plebi, & Sacerdotibus non conficientibus abſtulit) *Wicleſium* jam mortuum immeritò condemnavit, eò quòd inter alia cum Antiquis docuerit; *Subſtantiam Panis & Vini in Sacramento Altaris materialiter remanere; Accidentia verò Panis & Vini abſque ſubjecto in eodem Sacramento non manere.* Quæ duæ Aſſertiones ſunt veriſſimæ. *Synodus* Conſtantienſis, *Anno* 1415.

XXIX. Cardinalis *Cameracenſis*, qui tempore Concilii *Conſtantienſis* floruit, ne quidem Decretum Pontificis *Innocentii*, tanquam Eccleſiæ Determinationem admittere videtur. Fatetur enim de Perſiſtentiâ Panis, [a] *Quòd eſt poſſibilis, nec repugnat rationi, nec auctoritati Bibliæ.* De Converſione verò Panis ſcribit, *Quòd evidenter ex Scripturâ non ſequitur, nec etiam videri meo* [b] *ex determinatione Eccleſiæ.* Quia tamen Communis Opinio ei favebat, ideo tempori cedens illam quaſi renitente animo ſequebatur. *Card.* Cameracenſis, *Anno* 1420.

a *In* 4. *q.* 6. *a.* 2.

b *Hæc ſunt Cardinalis verba.*

Synodus Florentina, *Anno* 1439.

XXX. Quæ ex intervallo ſucceſſit Synodus *Florentina* de Tranſubſtantiatione & Conſecratione Euchariſtiæ cum *Græcis* nihil egit, ſed inter alias bene multas diſſenſiones eam in medio reliquit. Inſtructio verò, quæ dicitur *Armeniorum* (& ut Concilii Generalis *Florentini* Decretum, citatur à [c] *Soto*, [d] Catechiſmo *Romano*, & [e] *Bellarmino* Cardinale, tum in hâc causâ, tum in omnibus fere controverſiis) Decretum Concilii non eſt ſicut aliàs demonſtravimus [f]; ſed mentitum potiùs, & commentitium Decretum ſolius *Eugenii IV.* Pontificis *Romani*. Qui quidem in eâdem Inſtructione *Armeniis* præſcribit formam hujus Sacramenti, & *Virtute Verborum Chriſti* ait, *ſubſtantiam Panis converti in Corpus, & ſubſtantiam Vini in Sanguinem ejus*: Sed quòd hoc fecit approbante Concilio *Florentino* (quemadmodum in hoc ſuo Decreto ab ipſo *Eugenio* dictum eſt, & ſæpius dictum) falſi omnino convincitur, tum ex *Actis* Concilii, tum ex invictis Argumentis C. de Capite *Fontium* Archiepiſcopi *Cæſarienſis* in Libro illo [g] quem de Neceſſaria Theologiæ Scholaſticæ Correctione conſcriptum *Sixto* V. Papæ dicavit. Nam quo-

Inſtructio ad Armenios.

c *In* 4. *diſt.* 11. *q.* 1. *art.* 2.
d *Part.* 2. *c.* 4. *num.* 18.
e *De Euch. lib.* 4. *cap.* 13. *Sect. eſt igitur & alibi ſæpe.*
f *In Hiſt. Eccleſ. de Can. Script. p.* 158.

g C. *de Capite Fontium, de neceſſ. correct. Schol. Theol. F.* 51. 53. 56.

quomodo poterat Concilium *Florentinum* Decretum id approbare, quod tribus integris & plùs eo mensibus post finitum Concilium factum est ? Constat siquidem, [h] Concilio jam finito, *Armenos* unà cum *Græcis* subscriptis ab utràque parte Literis Unionis (quæ tamen nec ab omnibus admissa est, nec rata deinceps diu perseveravit) *Florentiâ* discessisse die Mensis *Julii XXII.* Instructio autem data est decimo Calendarum *Decembris*, hoc est, Mensis *Novembris* die *XXII.* Igitur ex consensu partium nihil hîc de Transubstantiatione actum, aut de cæteris Novæ Fidei *Romanæ* Articulis, in eâdem Instructione contentis, decretum est. Sed fucum fecit Lectori suo *Eugenius*, aut quicunque tandem sub illius nomine Decretum illud fabricavit. Fortè factum hoc viderat ille ab *Innocentio III.* sive *Gregorio IX.* in larvatis illis Concilii *Lateranensis* Decretis, quæ ejusdem Concilii non erant, sed solùm Pontificis *Romani* Decreta. Certè *Eugenio* talia præscribenti animo suo tantummodo morem gerere propositum fuisse verisimilius est, quàm eum sperare potuisse, ut se jubente, pro imperio illa ab *Armenis* potiùs quàm à *Græcis*,

[h] *Ex Actis Conc. Flor.*

quibus Instructio data non est, admitterentur. Usque enim hodie *Armeni in Sacramento Eucharistiæ Elementa Panis & Vini Naturas suas amittere negant*[i].

i Joh. Lasic. *de Relig. Armeniorum.*

XXXI. Ex his, à quovis qui animum adverterit, facilè observari potest, Transubstantiationis Dogma novum esse; Cunctis Scripturæ Sacræ, & Venerandæ Antiquitatis præsidiis destitutum; ex nonnullis obiter Veterum dictis perperam intellectis, circa Sæculi *XII.* medium primò confictum; ante annum à Christo *MCCXV.* nullo Decreto Ecclesiastico, ne Pontificio quidem confirmatum; post, hîc illîc in Ecclesiâ tantùm *Romanâ* receptum; Variis Disputationibus in Scholâ ventilatum; Tetris consequentiis obnoxium; à multis præstantissimis Viris (nunquam enim defuerunt qui contradicerent) repudiatum; Donec in Sacrilego illo *Constantiensi* Concilio susceptum; Anno demum *MDLI.* in Conciliabulo *Tridentino*[k], ab Episcopis non adeò multis, iisque tantùm Latinis, & Sedis *Romanæ* Mancipiis, aliis omnibus sub Anathemate (nulli formidando) definitum; & Præcepto Papali[l] (Diro quidem, sed Iniquissimo) latè

k *Synodus* Tridentina, *Sess.* 13.

l *Bulla* Pii *IV. de Profess. Fidei.*

latè nimis diſſeminatum. Cui non eſt cur fidem aut aſſenſum præbeamus, priuſquam demonſtratum fuerit, vel Corpus Chriſti, niſi conversâ in ipſum Subſtantiâ Panis, præſens exhiberi non poſſe; vel Verbis Chriſti Veritatem aliter non conſtare. Quod nunquam fiet in æternum.

INDEX

Locorum S. Scripturæ,

QUI

In hoc LIBRO citantur.

Exod XII. 11. 21.	Cap. I.	N. 4
Eccl. VII. ult.	Cap VII.	24
S. *Mat.* XXVI. 26.	Cap. I.	1
S. *Luc.* XXII. 19.	*Ibid.*	
S. *Joh.* III. 3.	Cap VI.	7
S. *Joh.* III. 29.	Cap. VII.	19
S. *Joh.* VI. 55.	Cap. I.	5
Rom. XII. 3.	Cap. VI.	7
1 *Cor.* IV. 15.	*Ibid.*	
1 *Cor.* X. 16.	Cap. I.	1
1 *Cor.* X 3, & 4.	*Ibid.*	
Gal. VI. 15.	Cap. VI.	7
Eph. IV. 22.	*Ibid.*	
1 *Pet.* I. 3.	*Ibid.*	
Judæ Ep. v. 3.	In Præfat.	

INDEX

Antiquorum Patrum.

Seculo I.

Clemens Romanus,	Cap. VI.	N. 1
S. *Ignatius,*	*Ibid.*	10

Sec. II.

Theoph. Antioch.	Cap. VI.	1
Justinus Martyr,	Cap. V.	7
	—— VI.	12.
Athenagoras, *Tatianus,*	Cap. VI.	1
Irenæus,	Cap. V.	8
	—— VI.	5, & 7

Sec. III.

Tertullianus,	Cap. V.	9
	—— VI.	7
Origenes,	Cap. V.	10
	—— VI.	5, & 7
Cyprianus,	Cap. V.	11
	—— VI.	7, 8, & 12
Clem. Alex.	Cap. VI.	1, & 7
Minut Felix.	*Ibid.*	
Arnobius,	Cap. V.	35

Sec. IV.

Euseb Cæsar.	Cap. VI.	1
Athanasius,	Cap. V.	13
Cyril. Hier.	*Ibid.*	14
	—— VI.	5, & 7

Juven-

INDEX.

Juvencus,		
Macarius,		
Hilarius,		
Optatus,		
Euseb. Emiss.		
Greg. Naz.	Cap. VI.	N. 1
Cyril. Alex.	& —	5,7
Epiphanius,		
Hieronymus,	& —	6
Theoph. Alex.		
Gaudentius,		
S. *Basil.*	Cap. V.	15
	— — VI.	7
Greg. Nyss.	Cap. V.	16
	—— VI.	7
Ambrosius,	Cap. V.	17
	—— VI.	6,7,13
Chrysostomus,	Cap. V.	18
	—— VI.	6,7,8
	Sec. V.	
S. *Augustinus*,	Cap. V.	19
Prosper III.	Cap. V.	20
Leo IV.		
Theodoretus,	Cap. V.	21
	—— VI.	10
Gelasius,	Cap. V.	22
Sedulius,		
Gennadius,	Cap. VI.	1
Faustus Reg.	& —	7
	Sec. VI.	
Ephremus,	Cap. V.	24
Facundus,	*Ibid.*	25
Fulgentius,	Cap. VI.	1

Victor

INDEX.

Victor Antioch. *Primasius,* *Procop. Gaz.*	Cap. VI.	N. 1
	Sec. VII.	
Isidorus Hisp.	Cap. V.	26
Hesychius,	Cap. VI.	1, & 2
Maximus,	——	1
	Sec. VIII.	
Ven. Beda,	Cap. V.	27
Car. Magnus,	——	28
Damascenus,	Cap. VI.	1
	Sec. IX.	
Paschasius,	Cap. V.	29
Amalarius,	——	30
Rabanus Maurus,	——	31
Joh. Erigena,	——	32
Wal. Strabo,	——	33
Bertramus,	——	34
Niceph. Patr. *Hincmarus,*	Cap. VI.	1
	Sec. X.	
Herigerus,	Cap. V.	36
Fulbertus,	Cap. VI.	1
	Sec. XI.	
Idem *Fulbertus,*	Cap. VII.	3
Berengarius,	*Ibid.*	4, 5, 6, 7, 8, &c.
Hildebertus,	Cap. VII.	4
Theophylactus, *Oecumenius,*	Cap. VI.	7
	Sec. XII.	
Bernardus,	Cap. VII.	13
	—— III.	2
Rupertus,	Cap. VII.	14

INDEX

INDEX

Scholaſticorum.

Seculo XIII.

Lombardus,	Cap. VII.	N. 15
Alex. Alenſ.	*Ibid.*	24
	& VI.	2
Albertus Magnus,	*Ibid.*	26
Tho. Aquinas,	*Ibid.* & VI.	2
Rich. de Mediavilla,	*Ibid.*	10

Sec. XIV.

Scotus, *Durandus,* *Occamus,*	Cap. V.	2
Baconus,	Cap. VII.	27
Holcotus,	*Ibid.*	26
Th. Argent.	*Ibid.*	27
Brulifer,	*Ibid.*	24

Sec. XV.

Card. Camerac.	Cap. V.	3
	—VII.	29
Gabriel Biel,	*Ibid.*	

Sec. XVI.

Cajetanus,	*Ibid.*	
Dom. Soto,	Cap. VII.	24

INDEX

Conciliorum.

Nicenum I.	Cap. V.	12
Calced.	*Ibid.*	23
Ancyranum,		
Neocæſarien.		
Laodicenum,		
Carthaginenſe,		
Aurelianenſe,	Cap. VI.	1
Toletanum IV.		
Braccarenſe,		
Toletanum VI.		
Conſtantinop. VI.		
Brixienſe,	Cap. VII.	12
Anglicanum,	Cap. V.	36
	—— VI.	2
Arelatenſe III.	Cap. VI.	2
Vercellenſe,	Cap. VII.	7
Turonenſe,	*Ibid.*	8
Rom. ſub *Nic. II.*	*ibid.*	9
Rom. ſub *Greg. VII.*	*ib.*	12
Later. ſub *Inn. III.*	*ib.*	18
Conſtantienſe,	*ib.*	28
Florentinum,	*ib.*	30
Tridentinum,	*ib.*	31

INDEX

Pontificum Romanorum.

LEO IX.	Cap. VII.	N. 7
Victor II.	*ib.*	8
Nicol. II.	*ib.*	9
Greg. VII.	*ib.*	12
Innoc. III.	*ib.*	18,19,20,21
Greg. IX.	Cap. IV.	7
Greg. XI.	Cap. VII.	24,27
	—VI.	2
Eugenius IV.	*ib.*	30
Pius IV.	*ib.*	31
	—IV.	7

INDEX

Historicorum.

PHotius,	Cap. V.	N. 24
Trithemius,	——	31
Malmesbury,	——	31,32
	—VII.	4,6,12
Antoninus,	*Ibid.*	32
Vincentius,	*ib.* & VII.	12
Sigebert,	*ib.*	36
	—VII.	6
Thevet,	Cap. VII.	4

INDEX.

P. Masson,	Cap. VII.	N. 9
M. Paris,	*Ibid.*	6, 20
M. Westm.	*ib.*	
Baronius,	*ib.*	9, 12
Sigonius,	*ib.*	9
Chron. Cassin.	*ib.*	13
Engilb. Trevir.	*ib.*	12
Bertold. Const.	*ibid.*	
Benno Cardinal.	*ibid.*	
Abbas Ursperg.	*ibid.*	
Otho Frisingen.	*ib.*	16
Platina,	*ib.*	20
Th. Walsingh.	*ib.*	22
Discip. de temp.	*ib.*	22
Cæsarius Monach.	*ib.*	22
Leunclavius,	*ib.*	25
Lasicius,	*ib.*	30

INDEX

Confessionum Eccles. Reformatarum.

Anglic.	Cap. II.	3
Augustana.	*Ibid.*	8
Saxon.	*ib.*	9
Wittemberg.	*ib.*	10
Bohem.	*ib.*	11
Polon.	*ib.*	12, & 19
Argentin. & Basil.	*ib.*	13
Gallic.	*ib.*	14, & 15
Belgica.	*ib.*	16
Helvetica prior, & posterior.	*ib.*	17, & 18

INDEX

INDEX
Scriptorum Eccleſ. Reformatarum.

Lutherus,	Cap.II.	13
Bucerus, Zuinglius, Oecolamp.	Ibid.	
Poinetus,	ibid.	4
Juellus,	ib.	3
Bilſonus,	ib.	5
Andreas,	ib.	
Jacob. Rex,	ib.	6
Hookerus, Joh. Epiſcopus Roffen. Montacutius, Armachanus, Franc. Epiſc. Elien. Laudus, Overalius,	Ibid.	
Antonius de Dominis,	ibid.	7
Calvinus,	ib.	20
Colloq. Ratisb.	Cap.V.	22

INDEX
Scriptorum Pontificiorum.

Bellarm.	Cap.III.	1, & 2
	—IV.	7
	—V.	3,5,18,21,22
	—VI.	10,13,14,16
	—VII.	17,22,30
Salmeron,	Cap.IV.	7
		Toletus,

Toletus,	Cap. IV.	N. 7
Roffenſis,	Cap. V.	3.
Perron.	*Ibid.*	13
Poſſevin.	*ib.*	18. 35
	—VII.	17
Steph. Gard.	*ibid.*	18
Greg. de Valen.	*ib.*	21
Præfat. in Theodor.	*ib.*	
Sirmondus,	*ib.*	25
Tho. Walden.	*ib.*	31
	—VII.	12
Index Libr. prohib.	*ib.*	35
Indices Expurg.	*ib.*	
Sixt. Sen.	*ib.*	
Vaſquez,	Cap. VI.	2
	—VII.	24
Direct. Inquiſit.	Cap. VI.	12
	—VII.	24
Alph. à Caſtro,	Cap. VI.	16
Diſcurſ. de Jeſuitis,	*Ibid.*	
Watſoni Quodlibeta,	*ib.*	
Garetius,	Cap. VII.	
Alanus,	*ib.*	4
Lanfrancus,	*ib.*	57 10
Guitmundus,	*ib.*	11
P. Bleſenſis,	*ib.*	17
St. Eduenſis,	*ib.*	
Gerſon,	*ib.*	22
Catechiſm. Trid.	*ib.*	30
De Capite ſontium,	*ib.*	
Algerus,	*ib.*	24
Gratiani Gloſſator,	*ib.*	10

FINIS.